Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Heinrich Majus

Io. Henrici Maii Fil. Graecae Orientalivmq. Lingvarvm In Acad. Giessena Professoris Pvbl. Observationes Sacrae Qvibvs Diversa Vtrivsqve Testamenti Loca Ex Lingvarvm Indole Et Antiqvitatibvs Potissimvm Illvstrantvr

Liber Primvs

Francofvrti Ad Moenvm: Francofvrti Ad Moenvm: Apvd Samvel. Tobiam Hockervm: Apvd Io. Maximil. A Sande, 1713

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046377051

Band (Druck) Freier Zugang

Fc_ 4405.1-3.
(I 2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046377051/phys_0002
DFG

Contenta.

1. Rivos Aquentual. Hebr. usus.
2. Johan Arndt de frequenti communione
3. Joh. Henric Majo observat. sacre.
4. ej. liber secundus,
5. ej. liber tertius
6. ej. liber quartus.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046377051/phys_0003
DFG

IO. HENRICI MAII FIL.
GRAECAE ORIENTALIVMQ. LINGVA
RVM IN ACAD. GIESSENA PRO
FESSORIS PVBL.

OBSERVATIONES SACRAE

QVIBVS

DIVERSA VTRIVSQVE

TESTAMENTI

LOCA

EX LINGVARVM

INDOLE ET ANTI

QVITATIBVS

POTISSIMVM ILLVSTRANTVR.

LIBER PRIMVS.

FRANCOFVRTI AD MOENVM
APVD SAMVEL. TOBIAM HOCKERVM
ANNO MDCCXIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1046377051/phys_0005
DFG

IO. HENRICI MAII FIL.

GRAECAE ORIENTALIVMQ. LINGVA
RVM IN ACAD. GIESSENA PRO
FESSORIS PVBL.

OBSERVATIONES SACRAE

QVIBVS

DIVERSA LECTIONE

TESTAMENTI

LOCA

EX LINGVARVM

INDOLE ET ANTI

QVITATIBVS

POTISSIMVM ILLVSTRANTVR.

LIBER PRIMVS.



AMSTELODAMI,
APVD SAMVEL. TORIAM HOCHIRVM
ANNO MDCCXII.

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
IO. HENRICVS MAIVS F.

IAm late protenditur humanae eruditionis campus, vt nemo vnquam ex illis, qui in eodem gnauiter decurrendo vires suas exercuerunt, finem eius attigisse gloriari possit. Beatissima hic se pandit discendi perpetuo proficiendique copia, disciplinarum varietate interstincta. Quas vniuersas quum idem haud capiat animus, recte fecerunt, qui partiti sunt studiorum genera, suam cuiuis partem, quod in militia fieri solet, adsignantes. Maior adhuc felicitas est, quod non omnia scire necessum sit, nonnulla etiam ignorare glorioſum. Atque haec est illa virtus, quam in Grammatico, hoc est, vti nunc loquimur, in Philologo commendat *Quintilianus* Institut. orator. Lib. I. cap. 8. *Ex quo*, inquiens, *mihi inter virtutes Gram-*

matici habebitur, aliqua nescire. Fabulas huc refert & commenta veterum, ridicula plerumque, quaedam etiam pudenda, in quibus occupatam fuisse quorundam vetustissimo, (vtinam non nostro!) aeuo industriam deprehendimus, ad minutissima quaeque & scitu indigna libero cursu euagantem. Liquido id patet, ex quaestionibus a Tiberio Caesare, nasuto magis, quam par est, Grammaticorum gregi, proponi solitis, & a *Suetonio* in eius vita cap. 70. memoratis: *Quae mater Hecubae? Quod Achilli nomen inter virgines fuisset? Quid Sirenes cantare sint solitae?* itemque ex his, in Philippi epigrammate legendis:

Εἰ κύνας εἶχε Κύκλωψ; τίνας ἔθρεμεν ἥλιος οἴμας;
Καὶ τίνος ἦν Πρωτεύς; ἢ τίς ὁ Πυγμαλέων;

num canes aluerit Cyclops? quemnam sol confecerit cursum? cuius sit filius Proteus? quis denique Pygmaleon? Quorsum spectant quaestiunculae a *Seneca* epist. 88. p. 336. & 344. ad ignobilis scientiae vanitatem commonstrandam allatae: quot annos viuendo Achilles vel Patroclus exegerit? an minor Hecuba fuerit, quam Helena? vtrum Vlysses inter Italiam & Siciliam iactatus sit, an extra notum nobis orbem? libidinosior Anacreon an ebriosior vixerit? an Sappho publica fuerit?

rit? quibus denique addere possumus similis farinae aliam, vtrum verum, quod Aeneas aliquando Carthaginem venerit? cuius veluti otiosae meminit *Augustinus* Confessionum Lib. I. cap. 13. Secure insuper scientiam nostram fugiunt, quorum notitia damnum afferre possit. Quamobrem benigne actum est cum humanis mentibus, ad deteriora pronis, quod Elephantidis σχήματα συνουσιῶν & Euphronii Priapeia, cum eiusmodi impudentiae libris, in orbe amplius non sint. Gratulemur bonis moribus, Apollodori & Antiphanis iunioris libros περὶ ἑταιρῶν, de quibus *Suidas* voce Νάννιον, itemque Aristophanis Byzantii de eadem materia opus, indicatum ab *Athenaeo* Lib. XIII. nostram aetatem non vidisse; quorum iacturam etsi *Adrianus Beuerlandus* sarcire conatus fuerit, nunquam tamen, si famae credendum, ille in lucem prodibit labor. Neque sic vero impedire possumus, quo minus & apud *Athenaeum* libro cit. & *Aelianum* in varia historia, & *Musonium Philosophum* de luxu Graecorum cap. XII. & *Iosephum Laurentium* in tractatione de adulteris & meretricibus, multa huius generis, quaedam quoque apud admirabilem *Hugonem Grotium* in prolegom. in priorem epistol. ad Corinthios, passimque

apud alios legantur. Et quidem ista nescire, perquam vtile est omnibus. Dantur alia, quae plures ignorare possunt, pauci admodum scire. Ita Criticorum superfluae sollicitudini vnice relinquimus disceptationes, vtrum A. Gellius vel Agellius scribendum? num R. Salomo Iarchi, vel Isaac sit adpellandus? num Abarbanel vel Abrabanel, & plenius Abrabaniel, pronunciandum, quam posteriorem controuersiam olim fecimus nostram; at nunc dediscendum existimo, quod tunc sciui: nam in his talibus aut parum aut nihil exploratae vtilitatis positum est. Eiusdem κόμματος est liticula de Romuli ac Remi matre, Rhea Ilia quibusdam vocata, adplaudente *Theodoro Ryckio*, impugnante celeberrimo *Iacobo Perizonio*, quorum hoc de negotio prostant mutuae epistolae, eruditissimis Perizonianis ad Aeliani Var. Hist. Lib. VII. notis subiunctae. Cum quibusdam ita comparatum est rebus, vt eas inspicere tantum, non vero perdiscere liceat; quod de Graecis litteris, incertum qua de caussa, statuit quondam M. Cato apud *Plinium* Hist. Natur. XXIX. 1. Certant nonnulli de his, quae scire scribentium fortasse interest, non autem legentium. Talis est de praestanti incolarum Noribergae vtriusque sexus

sexus forma ac pulcritudine pugna, inter *Lucam de Linda* in descriptione orbis pag. 1001. *I. C. Wagenseilium* de civitate Noribergensi cap. 21. pag. 149. & *Conradum Celtem*, de quo V. C. *Gundlingius* Obseruat. selectar. p. 15. seq. commissa, nulla tamen contentione pugnata. Scire insuper viros decet, quae tuto lateant venustiorem sexum, ad litterarum studia admotum, id quod euidentissimis rerum testimoniis ostenderunt excellenti ingenio viri, *Ludouicus Viues* libro de institutione feminae, *Gerardus Io. Vossius* de Philologia cap. 2. §. 4. atque *Thomas Bartholinus* de libris legendis Dissertatione VI. pag. 131. s. Ecquis vero iucundae huius atque vtilis ignorationis modos enarraret omnes? quorum paucos commemorauisse sufficiet, ceteros nescire haud erit ignobile. Atqui haec est docta illa ignorantia, ad quam pertinere iudico illud *Tertulliani* de praescriptione aduersus haereticos, p. m. 99. edit. Frobenianae An. 1528. *Nihil scire, omnia scire est*; cui peculiarem sacrauit librum *Nicolaus Cusanus*; quam optimi quique & sectati sunt & laudarunt, quod vel duobus exemplis firmabimus. Diuinus ille Philosophus, de quo *Ciceronis* in Bruto prostat iudicium: Iouem si Graeci loqui vellet, eius sermone locuturum,

rum, multis de inscitia hacce erudita differit in Alcibiade posteriore, pag. 229. edit. Graecae Basil. 1556. Quaerit ibi Alcibiades: Ἔστι γάρ ὁτιοῦν πρᾶγμα ὅτῳ δὴ ὁπωσοῦν ἔχοντι ἄμεινον ἀγνοεῖν, ἢ γινώσκειν; *Estne quicquam quod alicui quomodocunque se habenti conducat ignorare, quam noscere?* respondet Socrates: ἔμοιγε δοκεῖ. *Mihi sane videtur.* Legas & ista p. 230. ὁρᾷς οὖν, ὅτι ἡ ἔστιν ὧν γε ἄγνοια, καὶ ἔστιν οἷς καὶ ἔχοντί πως, ἀγαθὸν, ἀλλ' οὐ κακὸν, ὥσπερ ἄρτι σοι ἐδόκει, *Vides igitur ignorantiam quandam hominibus, certa ratione dispositis, bonam esse, non malam, vt modo tibi visum est.* Et haec: Ἀυσιτελεῖ ἄρα τοῖς πολλοῖς μήτε εἰδέναι μηδὲν, μήτε οἴεσθαι εἰδέναι. *Quamobrem expedit multis, neq; nosse quicquam, neque existimare se nosse.* Alterum eruditae inscitiae specimen ex seculo non vsque adeo longe remoto petemus. Hortatus erat Vitus Amerbachius Ioach. Camerarium, cui tamen vix quicquam incognitum erat eorum, quae perfectum absoluere, possunt Philologum, vt libros praecipuorum veteris Ecclesiae haereticorum, diligenter legeret; quem labore n quum parum sibi proficuum videret Camerarius, modeste in epistola ad monitorem data, ac Friderici Sylburgii catalogo MSStorum Bibliothecae Palat. Part. 2. inserta, reseripsit pag. 51: *Non ego istam sapientiam*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046377051/phys_0012
DFG

tiam expeto, & quaedam recte ignorari etiam puto. Eiusdem est hoc pronunciatum, ibidem pag. 57. occurrens: *Mihi quidem permultae* res *vtilius nesciri quam perspici videntur.* Sedet quibusdam ea mens, acsi ad laudandam imperitiam pertineret, hospitem esse in Iudaeorum scriptis; quo inprimis errore imbutos fuisse complures nouimus aetate illa prima, qua repuerascere cœperunt & haec & elegantiora studia cetera. Neque vero solus Pfefferkornius, & obscuri nominis sodales alii, ad rogum vocabant Rabbinorum ingenii testes; verum etiam alii, vim hanc nullum inuenire locum edocti, manibus excutere conati sunt, quod in ignem coniicere nequibant. Aiunt enim periculum subesse, ne hoc florente studio, damnum sentiant alia. Narrat *Mariana* pro editione Vulgata cap. 24. litteras, quibus eruditio continetur Rabbinica, ex eo capite oppugnauisse nonnullos, quod qui Rabbinis faueant, minus aequi soleant esse in antiquae Ecclesiae venerandos rectores. Sed nequissimũ & indocile istud genus, dum fabulas tantum & quod nimium est, reiicere debebat, vniuersam hanc eruditionis partem tollere molitur; ac dum barbariem proscribere quaerit, sponte introducit. Alios inuasit opinio, non

posse bonum esse Graecum, qui excellens sit Ebraeus, cum tamen vel Ioannis Seldeni & Gilberti Gaulminii, ac Marci Meibomii, aliorumque exempla, sed, quod non diffiteor, rariſſima, contrarium loquantur: vtpote qui omnes vtriusque linguae scriptores tam nouerunt, quam digitos suos, varios etiam cum orbe erudito communicarunt, atque ex vtroque fuerunt Caesares.

Iam, vt ad institutum accedamus propius, nulla est disciplina, ars nulla, quae non aliquam subministrare possit ad diuina percipiendum oracula vtilitatem. Quare, vti in reliquis locum obtinere potest ignorantia: ita heic aliquid ignorare velle, summum est dedecus. Quod dum secum perpenderunt omnium nationum, litteris moribusque excultarum, omnigena eruditione praestantissimi Viri, pro suo quisque modulo contulit, quantum potuit. Non enim omnia possumus omnes. Horum clarissimis monumentis testatam consignatamque operam intuentes, persuaderi tandem nobis passi sumus, commentari aliquid in sacri codicis locos, quibus vltima lima adhuc deesse videbatur. Equidem perspexi, laboris & inuidiae plenam me ingredi prouinciam, quam tot insignes Philologi exornarunt, vt praerepta nobis plera-

pleraque conqueſti primum fuerimus. Tum & ſeculi conſiderans indolem, eos qui lucem affundere inſtituunt tenebricoſis in lucemque plenam nondum perductis oraculis, ſine paſtoritia fiſtula & pipilo non abire deprehendi. Nec tamen animum ad coeleſtia effata erectum, retrahere potuerunt incommoda difficultatesque iſtae omnes, & ſi quae ſunt longe plures, ipſam Fabii eloquentiam laſſaturae. Simulac enim nugaciſſimas quorundam chartas contemplatus fui, ſacras litteras tam negligenter haberi, multosque in corruptione potius quam ſalute diuinitus ad nos delatarum paginarum occupatos eſſe, indolui. Non pauci quippe declarant, virtutem Grammaticorum, a Quintiliano tanto laudatam opere impenſe admodum ſe diligere, atque dum loqui neceſſe foret, virumque agere, magis eſſe mutos quam piſces; quum tamen abunde in his libris inuenire poſſint, vbi naſum ſuum, quantumuis Atticum exercere queat ille quoque, qui nil niſi naſus eſt. Aliorum interpretationes crudas & tam frigidas videre liceat, vt incendium templi Epheſini poſſint reſtinguere, prout veterum quispiam iocatus eſt. Videbatur itaque officii pars mei, expoſitioni aliquot locorum Biblicorum, integram pennam integra induſtria commodare.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046377051/phys_0015
DFG

dare. Quamobrem, quod felix fauſtumque eſſe velit Deus Optimus Maximus, primum nunc obſeruationum ſacrarum librum in orbem ire iubeo. Librum dico, quem rectius libellum nuncupandum putabunt forte plerique; militante interim pro nobis antiquorum conſuetudine, quibus ſolenne fuit, paucis etiam foliis conſtantia volumina, librorum nomine inſignire, quemadmodum videre eſt apud *Saldenum* de vſu & abuſu librorum Lib. I. cap. 2. §. 2. Peruaſi vtrumque Teſtamentum, decerpens, quod inſtituto congruum videbatur. Minime reprehendendum me arbitror, nec vni libro, nec vni Foederi inhaerentem, nec in eadem ſubſiſtentem lingua. Quamquam enim neque in Moriia monte neque in Parnaſſo aetatem conſumſerimus totam; viſum tamen eſt varietate ſaltem legentibus placere, & quam benigna adhuc in Ebraeo pariter ac Graeco codice ſuperſit inueſtigandi vbertas, propoſitis ſpeciminibus indigitare. Quinquaginta nunc locos Tibi, amice Lector, ſiſtimus, Laurentii Ramireſii de Prado Pentecontarchum, & Antonii Nebriſſenſis Quinquagenam, impari licet greſſu, ſequentes; quem poſthac numerum ſeruabimus conſtanter. Nullo ſum ordine vſus, niſi quod textui Ebraeo

braeo Graecum semper comitem dederim, Babylonicos acupictores imitans, & ex coloribus diuersissimis obseruationes adornans. Arctis plerumque limitibus inclusi animaduersiones, diffundentem sese styli libertatem restringens, ne facilitate legentium abuti videar. Nobis enim non arridet illorum scribendi ratio, qui calami currentis ductum libere sequuntur, non quam rotunde, sed quam multum scriptis mandetur, curantes. Verum suo quisque ingenio litet, sua ratione scribat & doceat, dummodo breuitatis studium nobis haud inuideat, quo tam impense delectamur, verborum non minus quam numorum honestam esse parsimoniam reputantes. Neminem lacessiuimus, nullius famam aut ingenii nomen laesimus, vel sibilis conscidimus, sed intra nostram nos continuimus cutem, id semper operam dantes, vt digni rei publicae litterariae habeamur ciues. Sanctarum linguarum, tum & antiquitatum potiorem iniuimus rationem, sine quibus ne minimam quidem Bibliorum particulam digne intelligere valemus. Aliorum scriniis suffurari quaedam, a more nostro omni tempore abhorruit; neque igitur cramben centies coctam recoctamque adponi credat beneuolus Lector a nobis, quibus

non

non commentarii, sed ipsa sacrorum librorum lectio, assiduae scrutationi iuncta, fuit pro magistro. Vnde, si quid albo calculo dignum legentis inueniet benignitas, amplissimum me laboris fructum tulisse iudicabo; sin minus, cogitare Te velim, ab eo profectas esse obseruationes, qui ad litterati hominis munia omnia aptus nequaquam sit, & qui pro aetatis crepusculo res suas gesserit. Lubens enim fateor, nec litteratam senectutem, nec multorum annorum diligentiam hic esse quaerendam, tametsi saepe ante lucem indagare occeperim, neque tamen ante concubium noctis inuenerim. Adeo nonnisi excellentibus ingeniis concessum est enodare omnia, & vel illa scire, quae communis ignoret Mercurius; a qua nos gloria longissime remoti sumus. Criticorum Patriarchas & Aristarchorum Pontifices Maximos, quorum imperium ad ea vsque se extendit, quae Praetores non curant, & tam seuera in litterarum apices est censura, quam fuit Catonis in mores hominum, ad tribunal sequi non quidem optamus; neque tamen in ius cum illis ambulare & eandem induere paenulam, vbi ita voluerint, detrectabimus, vt vt tanto inferiorem me istis vegrandibus agnoscam colossis, quanto pumilio minor est gigante.

Aequam

Aequam his facio potestatem, vel vno halitu difflandi, vel vnica litura delendi, vel acri spongia extergendi, vel dentato aceto vniuersum laborem nostrum proluendi. Didicimus enim, in Velabro sedentibus olearijs auscultandum non esse; quibus interea alienae industriae praefectis & morosis magistris id negotij damus, vt aut fimum suum scalpturiant, propriosque vngues praemordeant, aut, si alios arrodere maluerint, pueros tantisper ad subsellia plorare iubeant. Multo minus ceteros formidamus censores, modo tales nobis contingant, qui ter minimum helleboro deterserunt animum. Te vero, quisquis es, ingenue nostrisque studiis fauens lector, Te, inquam, ad extremum rogo, velis locum dare obseruatori, si non per omnia felici, assiduo certe ac fideli, qui nouas insuper obseruationes Tecum se proximis nundinis Francofurtensibus communes facturum promittit. Interim his fruere, si potes, &, si mereor, faue.

AVGV-

AVGVSTINVS

de Trinitate Lib. I. cap. 3.

Malo me reprehendi a reprehensore falsitatis, quam ab eius laudatore laudari.

GENES. XXXVI. 24.

הוא ענה אשר מצא את הימים׃

Is est ille Ana, qui inuenit Iemim.

QVinque omnino difficillimae vocis ימים circumferuntur interpretationes, quibusdam *mulos*, aliis *calidas aquas*, nonnullis *maria*, aliquibus *Gigantes*, ceteris denique *herbas*, nunc parum cognitas, isto vocabulo designari, contendentibus. Nobis postrema maxime arridet, quam doctrinae & diligentiae admirabilis Vir, *Io. Christoph. Wagenseilius* in adnotationibus ad Sotam p. 218. protulit, cuius rationes magni ponderis esse adhuc adgnoscimus. Habuit Vir maximus nec antecessores, praeter *Aben Esram*, vllos in ea opinione, nec, quantum nouimus, successores, nisi quod vener. Parens noster in Historia Animal. Lib. II. cap. 5. pag. 448. illustris Auctoris vestigia premens, blitum fuisse illud *Iemim* existimauerit, motus Arabicae linguae

 con-

conuenientia, quae *Ieman* adpellat eam, quam modo nominauimus, herbam. Licebit igitur mihi, bona doctorum virorum venia, paucis coniecturam, in quam deuenimus, aperire. Arbitror vero, ab Ana repertas herbas, tales prorsus fuisse, quales ad veneficia potissimum adhibebantur. Non alienum id est de Ana cogitare, ex impia progenie Edomaeorum in lucem edito, multis sceleribus, inprimis autem incestu cum matre, si Iudaeis habenda fides, inquinato, atque degenere mundi incola. Quidni ergo forte fortuna incidere in herbam, quam veneficiis, vel amori illicito procurando aptam, adgnoscere aut indiciis certis, aut experimento potuit, artemque nefandam & inuenire simul, & cum aliis communem facere? Ipsos Iudaeos, Esauitis, vnde Ana ortus, necessitudine fraterna coniunctissimos, & olim & hodie veneficiis deditissimos esse, multis comprobatum dedit exemplis *Christianus Gerson* in Talmudis sui Parte II. 17. cui iungere debes, quem paulo ante laudauimus, nec vnquam sine laude nominamus, *Wagenseilium* l. c. p. 529 - 536. & p. 961. seq. Immo, tantum deprehendimus veneficarum numerum, vt Ascalone vno eodemque die octoginta feminae, criminis huius reae, a Simeone filio Schetachi

tachi suspensae dicantur in *Codice Sanhedr.* fol. 44. b. Ad ista veneficia insignis credebatur herbarum esse vsus, comprobantibus Aegyptiis, Orpheo, Homero, Hesiodo, Pythagora, aliis, vt apud *Plinium* XXV. 2. videre est. Qualem vero nominatim Ana herbam inuenerit, difficile dictu est, inprimis quum herbarum omnium nomina Ebraica, potissimumque ea, quae Rabbinis vsitata, tantis obuoluta sint tenebris, vt nisi Hortensius aliquis Sphingem adferat, actum fore de speranda illarum cognitione credamus. Quotusquisque enim est, qui intelligit quid sit סומם in *Pesachin* fol. 39. a. quid פשיטנא in *Schabb.* fol. 110. b. quid חומטריא *ibid.* fol. 109. b. quid חנון *ibid.* fol. 54. b. quid מרוי *Gittin* fol. 69. a. quid חורולין *Pesach.* loc. cit. &c. herbarum nomina omnia, aetate & canitie admodum horrida, ac adeo obscura, vt ne Iudaeis quidem perspecta sint. Certe, qui Lexica confecerunt, & ad abstrusa linguarum aditum pandere conati sunt, modestam heic profitentur ignorantiam, reuerenter de his similibusque vocabulis tacentes. Ausim adfirmare, nihil aeque incultum ac salebrosum in litteratura orientali esse, quam rem agrariam & herbariam, vtinam aliquando industrii atque periti Viri laboribus repurgandam-

Noſtra enim haud parum refert ſcire, quod cuiusuis herbae genuinum nomen, ex quo deinceps de virtutibus eo felicius coniicere poſſimus. Sed vt ad Anam redeamus, dicitur is pauiſſe in deſerto loco aſinos patris ſui, atque tum inueniſſe herbas *Iemim*, quas procul dubio aſini indicarunt. Sunt enim nonnullae herbae, animalibus certis inimicae, quam in rem pauca ex *Plinii* XXIV. 17. adferre non poenitebit. *Achaemenidon*, inquit, *colore electri ſine folio, naſci in Tardiſtilis Indiae, cuius radice in paſtillos digeſta, in dieque pota in vino, noxii per cruciatus nocte confitentur omnia per varias numinum imaginationes. Eandem hippophouada appellat, quoniam equae praecipue caueant eam.* Paucis interiectis, de herba, Theombrotion dicta: *hac admota, leones reſupinari cum hiatu laxo.* Paulo poſt ſcribit: *Therionarca in Cappadocia & Myſia naſcente, omnes feras torpeſcere.* Atque has quidem herbas Magicis medicinis immixtas fuiſſe, idem teſtatur; quod inſuper ex Hecates, Medeae, Circes, Canidiae, aliarumque exemplis liquet. Quare non viſum erat operae pretium ſcriptori diuino, aut clarius aut prolixius Anae inuentionem litteris mandare, quippe quae eam laudem haudquaquam promeruit. Ad quale

por-

porro veneficii genus recens inuentas herbas vsurpauerit Ana, pariter incertum est. Si coniecturae datur locus, ad plurima adhibuit facinora, aliis ex aliis subito, ceu in malis fieri solet, nascentibus. Tales erant artes Aemoniae vel Haemoniae, ad quas requirebantur herbae. Aemoniae dicuntur ab Aemonia, id est, Thessalia, vbi ingens veneficarum per longa tempora exstitit cohors, artibus istiusmodi adeo celebris, vt veneficae deinceps nonnisi Θετταλαὶ dictae fuerint, docente *scholiaste Aristoph. ad Nubes* p. m. 169. edit. Geneu. Istae, quas dixi artes, tam ad amatoria, quam complura alia, extendebantur. Prius innuit *Ouidius* de arte amandi II. 99.

Fallitur, Aemonias si quis decurrit ad artes.

Et mox: *Non facient, vt viuat amor, Medeides herbae.*

Indicat etiam *Theocritus* idyll. II. quod huc pertinet integrum. Posterius aperit *Lucanus* VI. 416.

— — — — ille supernis
Detestanda Deis saeuorum arcana Magorum
Mouerat, — — —
— — vanum saeuumque furorem
Adiuuat ipse locus, vicinaque moenia castris

Haemonidũ, ficti quas nulli licentia monſtri
Tranſierat, quarum, quicquid non creditur,
ars eſt.

Theſſala quin etiam tellus herbasque
nocenteis
Rupibus ingenuit, ſenſuraque Saxa canentes
Arcanum ferale Magos; ibi plurima ſurgunt
Vim factura Deis; & terris hoſpita Colchis
Legit in Haemoniis, quas non adduxerat,
herbas.

Pluribus exſequitur hoc argumentum vates in ſubſequentibus verſibus, lectu ſane digniſſimis. Ceterum, vti Aemonia nomen nacta eſt a rege huius nominis, atque ab hac regione veneficia artium Aemoniarum adpellationem conſecuta ſunt, herbae etiam, quae in hunc cedebant finem, Aemoniae nuncupari a loco poſſunt: ita credibile eſt, non minus ignotam fuiſſe olim artem Anae, ad poſteros propagatam, ac herbas potiſſimum noxias ab eo repertas tam omnibus notas fuiſſe, quam Aemoniae olim, iisdem vſibus dicatae. Neſcio etiam, quam חימים cum Haemoniis habet adfinitatem, etſi probe ſciam, locum, vbi ſuas reperit herbas Ana, ac Aemoniam, ſatis notabili fuiſſe interuallo ſeiuncta. Hoc erat inuentum illaudati hominis, inuentore dignum.

gnum. Nam, vt recte iterum *Plinius* XXV. 2. *Etiam in repertis* (herbis) *alias inuenit casus, alias, vt vere dixerim, Deus.*

MARCI XI. 13.

Οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων.

Neque enim tempus erat ficuum.

POst tot ingenio & eruditione praestantium virorum labores, huic loco vel emendando vel dextre exponendo, impensos, verendum propemodum est, frustraneam fore opellam nostram irritosque conatus. Parum quippe abest, quin desperatae salutis & plane ἄλυτον hunc textum palam pronunciauerint quidam, cui propterea carnifices adhibere manus consultum duxerunt. Tentabimus & nos medelam, verum sine omni vi, exposituri mentem nostram versibus, quam alii libris declarant. Sumus igitur in ea prorsus sententia, nihil quoad verba ipsa, nihil quoad eorum situm & nexum esse mutandum, solam vero in fine interrogandi notam necessario collocandam, hoc modo: οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων; *nonne enim tempus erat ficuum?* Quae si porro per interclusionem, (Graeci παρένθεσιν vocant,) posita in animum induxeris, suisque

signis includere volueris, viam reddes ad sensum perueniendi commodiorem. Suppeditat nimirum sacer scriptor rationem damnatae a Saluatore arboris, quam, ne temere dira illa exsecratione punitam fuisse, parum prudentes & pii arbitrarentur, statim subnectit memoratas modo voces. Fieri autem interrogationem, ac simul per illam, rei de qua loquimur, caussam reddi solere, aliquando etiã non sine indignationis nota, certe non absque magna ἐμφάσει, iam probandum est; quod sequentia, spero, efficient exempla. Sycophanta apud *Aristophanem* in Pluto p. m. 86. sic queritur:

Οὐ γὰρ κέτλια πέπονθα νυνὶ πράγματα,
Ἀπολωλεκὼς ἅπαντα τἀκ τῆς οἰκίας
Διὰ τὸν θεὸν τοῦτον;

Nonne vero gravia nunc perpessus sum mala, posteaquam res domesticas amisi omnes, propter hunc Deum? Apud eundem in Auibus p. 611. ad quaestionem Pistheteri,

Εἰσὶν γὰρ ἕτεροι βαρβαροι θεοί τινες
Ἄνωθεν ὑμῖν;

Suntne alii quidam barbari Dii supra vos? magna animi vehementia motuque respondet Prometheus:

— — — ἃ γάρ ἐισι βάρβαροι
Ὅθεν ὁ πατρῷος ἐσιν Ἐξηκεσίδης;

num

num essent barbari illic Dii, vnde patrius est Execestides? Satis quoque aperte loquitur *Plato* de Republ. L. VI. ἆ γὰρ ταῦτα μέγιστά ἐστιν; ἀλλ' ἔτι τί μεῖζον; *nonne haec maxima sunt? aut num aliud forte maius esse potest?* Adde, quod ἆ γάρ; nude positum, & cursui orationis obiter insertum, interrogationi inseruiat pari modo. *Aelianus* Var. Hist. II. 8. γελοῖον δὲ, ἆ γάρ; Ξενοκλέα μὲν ἡττᾶσθαι, Εὐριπίδην δὲ νικᾶν· *ridiculum autem, (nonne ita?) Xenoclem vinci, Euripidem vero vincere?* Et Lib. VIII. 12. init. παραδοξόν γε, ἆ γάρ; ἀληθές δε, (sic enim verba esse efferenda, recte monuit *Casaubonus*) id est: *res mira (nonne ita?) at vera est.* Quamobrem habuit caussam maxime idoneam humani generis redemtor deuouendi arborem, quae ne tempore quidem ferendis fructibus idoneo aliquos protulerat, solis superba foliis, ad decipiendum viatores, fame laborantes, nata, hypocritarum exactissima imago. Ergo tum fuit illud tempus, quo fructus conspiciebantur in arboribus, id quod & nostrum indigitasse Euangelistam prorsus mihi persuasum habeo. Ad extremum, memento canonis: *propositiones negatiuis particulis elatas, aequiualere propositionibus adfirmatiuis.* Hoc enim probe obseruato, nil amplius restare difficultatis in-

 uenies.

uenies. Quod si exempla, istam regulam confirmantia, desideres, euolue Matth. VI. 25. Io. XI. 9. Marc. VI. 3. Luc. XVII. 17. 1. Cor. IX. 1. 4. 5. 6. Ebr. I. 14. &c.

PSAL. CXXXVII. 1.

על נהרות בבל שם ישבנו גם בכינו׃

Ad flumina Babyloniae consedimus, etiamque fleuimus.

FUisse moris antiqui, vt moerore confecti, lugentes, lacrimasque profundere volentes, ad aquas non raro sese contulerint, ibi *consederint*, atque sic calamitates suas *deflenerint*, a nemine adhuc, ne eorum quidem, qui de luctu ex instituto commentati sunt, obseruatum esse, saepius miratus sum, & adhuc miror. Equidem, quod ad sessionem attinet, non sane incognita antiquitatum scrutatoribus fuit, vtpote quam vel innumeris vicibus recurrens phrasis, *in cinere atque puluere considere*, vel mulieres Thammusum, id est, Adonidem sedendo deflentes, apud Ezech. VIII. 14. vel numi in honorem Vespasiani cusi, deuictam exhibentes captamque Iudaeam, sub habitu mulieris sedentis ac lugentis, abunde commonstrant: at illud alterum

terum, aquis nimirum affidere, ficco praetierunt pede, aut parum attendentes, aut non magni aestimantes eam consuetudinem, quam non modo praesens ostendit textus, sed & historia Hagarae, Genes. XVI. ab hera expulsae & in desertum locum profugientis, quam Angelus Domini ad fontem aquarum, v. 7. inuenit. Videbantur nimirum aquae effundendis lacrimis admodum opportunae, vt aqua accederet ad aquam. Est & calamitatis symbolum aqua, vt liquet ex Psal. LXVI. 12. XVIII. 17. CXLIV. 7. Atque hoc etiam respectu, nullus magis congruus dolori locus obuenire potest, quam fontes, flumina, maria. Quibus aquarum fontibus, miseriae humanae testibus, opponuntur illi, ad quos deducturum se Iehoua pollicetur. Ierem. XXXI. 9. gentes ad se congregandas, nec sine fletu aduenientes. Ceterum, neque perpetuum, neque omnibus obseruatum ad aquas plorandi lugendique ritum, contendo; potius aio, & secretum loci, & blandum aquarum murmurillum, multos impulisse, vt in grauiori luctu eo potissimum diuerterent. Multa huius consuetudinis exempla veteres subministrant, e quibus vnicum in praesentia seligemus *Homerum*. Is Achillem Iliad. A. 348. seqq. in hunc modum lugentem depingit:

αὐτὰρ

— — — — — αὐταὰρ Ἀχιλλεὺς
Δακρύσας, ἑταίρων ἀφαρ ἕζετο νόσφι λιασθείς,
Θίν' ἐφ' ἁλὸς πολιῆς, ὁρόων ἐπὶ οἴνοπα πόντον.

Achilles autem lacrimans, a sociis statim sedit seorsim separatus, littus ad maris cani, purpureum pontum contemplans. Et de Vlysse similia narrat, Odyss. E. 82.

Ἀλλ' ὅγ' ἐπ' ἀκτῆς κλαῖε καθήμενος. ἔνθα πάρος περ
Δάκρυσι καὶ στοναχῇσι καὶ ἄλγεσι θυμὸν ἐρέχθων,
Πόντον ἐπ' ἀτρύγετον δερκέσκετο, δάκρυα λείβων.

Sed ipse ad littus sedens plorabat, vbi antea quoque lacrimis gemitibusque ac doloribus animum macerando, pontum in inquietum prospexerat, stillando lacrimas. Iterum de eodem Odyss. N. 219.

— — ὁ δ' ὀδύρετο πατρίδα γαῖαν,
Ἑρπίζων παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης.

Is vero lugebat patriam terram, perrepens ad littus perstrepentis maris. Videsne, in duobus prioribus testimoniis & sessionis & fletus simul, in posteriori autem fletus tantum factam esse mentionem? Plura occurrunt apud eundem, & *Virgilium* passim, quî ne in his quidem circumstantiis consignandis ab Homero, magno suo Apolline, recedit. Sed haec sufficiant.

MATTH.

MATTH. XXVI. 50.

Ἑταῖρε. *Amice.*

INualuit vulgata huius vocis in praesenti dicto per *Amici* titulum expositio, quam vti non reiicio, sic & locum habere posse *Discipuli* compellationem, censeo. Respiciunt enim se mutuo Ῥαββὶ *Magister, Praeceptor*, quomodo ℣. 49. ex vero nominauerat Christum proditor, & ἑταῖρος siue discipulus. Erat haec vltima ad Iudam adlocutio, qua officii admonere ipsum suauissimus saluator volebat, vnico vocabulo considerandum exhibens, quam belle genuini discipuli partes impleuerit. Solebant Philosophorum apud veteres discipuli ἑταίρων nomine venire. Xenocrates ab *Aeliano* Var. Hist. XIII. 31. & XIV. 42. ἑταῖρος Πλάτωνος vocatur, cuius vere discipulum extitisse historiae Philosophicae scriptores, immo ipse Aelianus III. 19. edocent. Sic & Apollodorus Socratis ἑταῖρος dicitur ab eodem I. 16. Auctori τῶν φιλοσοφουμένων, quisquis ille sit, Leucippus Zenonis est ἑταῖρος cap. 12. quod alibi capp. 6. 10. 18. 20. per ἀκροατὴς, vel per γνώριμος cap. 13. exprimit. Notamus vero, eos qui praeceptoribus se prae aliis commendarent discipulis, hoc tantum

tum nomine ornatos, quippe qui iam ad interiora admitti coeperant, nec vt nudi habebantur *discipuli*, sed & *vt amici*. Vnde id nominis placuit summis Philosophis tribuere discipulis, in modestiae adfectusque signum. Sic ex *discipulis amici*. Memorabile est *Suidae* testimonium, v. ἑταῖρε. ὁ Πλάτων, ait, καὶ οἱ ἄλλοι φιλόσοφοι, τὰς γνησίας ἑραστὰς τῶν λόγων ἑταίρας ἐκάλεν. *Plato & reliqui Philosophorum genuinos disciplinae suae amatores*, ἑταίρας *vocabant*. Addit: ὃς ἐμιμεῖτο Ἰουλιανὸς, ἑταίρας πάντας καλῶν ἐν ταῖς συνουσίαις, οὐκ ἀπαυθαδιζόμενος τῇ βασιλείᾳ, *quos imitatus est Iulianus, in congressibus omnes* ἑταίρας *adpellans, non elatus imperii fastigio*. De Pythagora idem constat. Et talis quidem ἑταῖρος nomine fuit Iudas, reipsa vero omnium ingratissimus in Doctorem discipulus, parum memor eorum, quae de pietate erga praeceptores Iudaeorum Magistri praecipiunt, sibi haud incognitorum. Ad neminem profecto magis spectat prudens auctoris libri manu exarati *Ez hachaiim*, a *Wagenseilio* ad Sotam p. 539. productum effatum: כל המזלזל בכבוד רבו נגרם שהסתלק שכינה מישראל *Quisquis negligens est in cultu praeceptori debito, id omnino efficit, vt diuina maiestas ab Israelitis auferatur*. En! sententiam Iudaei aduersus Iudaeum. Posteaquam a Iuda hostium potestati

ſtati traditus eſt Saluator, ſublata repente fuit gratioſa & praeſens Dei in Iudaeorum populo commoratio, quam ipſi tanto praedicabant opere, immiſſae calamitates, mutuae neces, & tandem fatale vrbis ac templi excidium, ſic vt nunc ſine cultu ſolenni & Schechina per totum orbem oberrent.

PSAL. CXXI. 1.

אשא עיני אל ההרים מאין
יבא עזרי:

Attollo oculos meos ad iſtos montes, vnde venit auxilium meum.

COgitanti, num huic loco quidpiam ex antiquitate lucis foenerare poſſim, opportuno Montenſes Dii in mentem venerunt. Numina quaedam in montibus, etiam ante Dauidis tempora fuiſſe culta, vel ex Deut. XII. 2. liquet. Hi credebantur vicinis terris ac regionibus auxilium, ſi opus foret, adferre; quem in finem majeſtati illorum iſta conſecrabant loca, potiſſimum vero Pani, ὀρειβάτῃ nomine gaudenti. *Dionyſius Halicar.* Lib. I. ſcribit, dicatos eſſe ὄρη καὶ νάπας Πανί, *montes ſaltusque Pani.* Et *Homerus* hymno in Pana;

— — — ὃς πάντα λόφον νιφόεντα λέλογχε,
Καὶ κορυφὰς ὀρέων, καὶ πετρήεντα κάρηνα.

qui

qui omnem collem niuosum sortitus est, verticesque montium atque saxosa cacumina. Is quum Nympharum ductor audicat, mirum non est, & has ὀρεσίαδες ac ὀρειάδες passim, ab *Hesychio* etiam ὀρεσεμνιάδες, vtpote quae in montibus habitent, adpellari. Sunt praeterea alii Dii, quibus diuinus in montibus deferebatur cultus. *Pausanias* in Atticis: Ἀθηναίοις δὲ τὰ ὄρη καὶ θεῶν ἀγάλματα ἔχει, apud *Athenienses, in montibus Deorum conspiciuntur statuae*; addit, in Pentelo monte Mineruae, in Hymetto autem Iouis Hymetti collocatam. Meminit *Tertullianus* in Apologet. Bellonae montium, quos haud procul Carthagine sitos, Bellonaeque sacros fuisse suspicatur *Dionys. Petauius* ad Iuliani orat. V. p. m. 90. In Vesuuium montem vetus exstat inscriptio, Capuae inuenta, in hanc sententiam: IOVI. VESVVIO. SAC. D. D. Vid. *Casp. Paragalli* Histor. natural. Vesuuii Lib. I. 2. Est alia apud elegantissimum *Gallandium* in epist. ad Iac. Sponium, huius ignotorum atque obscurorum Deorum aris inserta, haec prae se ferens: ΟΡΟΣ ΔΙΟΣ ΜΗΛΩΣΙΟΥ *mons Iouis pecoralis.* Ad rem *Augustinus* de Ciuit. Dei IV. 8. *Nec enim agrorum munus vni alicui Deo committendum arbitrati sunt, sed rura Deae Rusinae,*

iuga

iuga montium Deo Iugatino; collibus Deam Collatinam, vallibus Valloniam praefecerunt. Quid multis? Vnde, quaeso, Iupiter Capitolinus & ἐπάκριος, vnde Apollo Cynthius, Venus Ericina & Idalia, vnde Mercurius Cyllenius, vnde Rhea ὀρεία, vnde Cybele mater Idaea, nisi a montibus? Taceo alia. Sed ad textum redeamus. Nouimus, cultum Deastrorum in montibus institutum, vehementer a Dei veri Sacerdotibus interdictum. Haesit eadem mens Dauidi, ad vanitates idolorum minime respicienti, sed ad Iehouam oculos attolenti, qui in monte legem dederat. Nec Hierosolyma, montibus vndique cincta, ab ea superstitione semper fuere immunia. Nam & in his montibus impii erexerant simulacra Deorum, quibus curam istius territorii committebant. Quare Dauid Psal. CXXV. 2. ait: *Hierosolyma montibus vndiquaque clausa*, quorum tutelaribus Diis multi fidunt; at hoc siculneum est praesidium; nobis sane longe aliud suppetit, *Iehoua* nimirum, *qui circa gentem suam.* Referre huc possumus Mosen, in oratione valedictoria, Deuter. XXXIII. 19. de Sebulone & Issascharo praedicentem, fore ut עמים הר יקראו שם יזבחו זבחי צדק *gentes ad montem conuocent, ibidemque sacrificia iustitiae immolent*, se-

cus atque antea in illis montanis factum erat. Notanda ad extremum est diserta Montensium Deorum אלהי הרים in sacris litteris commemoratio, quibus Israelem seruari nugabantur Benhadadi milites, 1. Reg. XX. 23. ea superstitione fascinati, cum tamen ad Syrorum aeque ac ceterorum numina montensia quadret illud *Commodiani:*

Montenses Deos dicitis, dominantur in auro.

MATTH. VIII. 29. MARCI I. 24. V. 7. LVC. IV. 34. VIII. 28.

Τί ἡμῖν καὶ σοί;

Quid nobis tecum?

CVm *Pfochenius* §. 40. tum *Er. Schmidius* ad Matth. l. c. quibus adde *Balth. Bebelium* exercit. de phrasi N. T. §. 21. illos, more suo, exscribentem, nec non *Bezam* ad Matth. VIII. 29. ab Ebraismi suspicione locutionem nostram purgare magno nisu conantes, quamplurima huic phrasi similia ex profanis scriptoribus adduxerunt exempla; eandem autem, totidem verbis alicubi occurrentem, non produxerunt. Id ergo nostrae adhuc relictum censemus industriae, ne, *simile* qui-

le quidem dicendi genus, non autem *idem* in promtu esse, obiici possit, quod Pfochenio in simili phrasi υἱοὶ ἀνθρώπων obuertisse nouimus Cl. *Mosen Solanum* in dissert. de stylo N. T. §. 59. collectioni Rhenferdianae inserta. Hanc itaque ipsissimam locutionem sistimus ex *Epicteti* dissertationum ab *Arriano* digestarum libro secundo, sic vti egregium illum locum *A. Gellius* Noct. Attic. I. 2. seruauit. Introducitur Philosophiae sectator, & quidem disciplinae Stoicae, nomine solo, non reapse, multa de serenitate oris vultusque, de constantia, aliisque iactans virtutibus, ipso autem opere contrarium ostendens. Hic, vbi naufragii metu tenetur, quaesitus ab alio, num naufragium adhuc sit κακία, (quod vi hypotheseon negabat antea) fuste percutiens quærerentem, dicet. ΤΙ ΗΜΙΝ ΚΑΙ ΣΟΙ ἄνθρωπε; ἀπολλύμεθα, καὶ σὺ θέλων παίζεις. *Quid nobis & tibi, nequam? Perimus, & tu studio illudis.* Item, si huiusmodi neque frugis neque operae probae Stoicus, criminis accusatus, ad Caesarem vocatus, tremere & timere visus, interrogetur, quare metuat mortem, carcerem, exsilium, ignominiam, alia, quum his nulla insit κακία, vitium nullum, respondebit: ΤΙ ΕΜΟΙ ΚΑΙ ΣΟΙ ἄνθρωπε, ἀρκεῖ ἐμοὶ τὰ ἐμὰ κακά. *Quid tibi mecum, scelus? Mala mihi mea*

sufficiunt. Vnde liquet, vehementissimae indignationis esse formulam, tum vsurpari solitam, quando aut graui periculo pressi, aliis nos lacessentibus vel & irridentibus, respondendum haud esse censemus, aut de vi facta querimur, simul etiam contemtum declararamus, vbi aduersariae potestati resistere non possumus, sed inuiti cedimus. Quam ob rem, non vexari se vlterius petunt, qui ea formula vtuntur, indicantes, se iam sat malorum perpessos. Est itaque sensus: Nihil mihi tecum commune. Missum me facito. Res tuas tibi habeto. Noli meos turbare circulos. Apage, & me mea curare finito. Tuis tute intentus sis. Atque hoc argumento sit, non semper Ebraismum esse dicendum, vbi eadem locutio in noui foederis scriptoribus occurrit; sed recordemur potius, peculiari quopiam fato accidere, vt eadem phrasis, constructio eadem in diuersis linguis deprehendatur, sine vllo vitio. Quare, etsi 2. Sam. XVI. 10. מה לי ולכם itemque 2. Paral. XXXV. 21. מה לי ולך legamus: non tamen ex fonte Ebraeo, sed Graeco limpidissimo, profluxisse dicendum, quod in N. T. eandem phrasin hoc sensu legamus.

GENES.

GENES. V. 24.

ויתהלך חנוך את האלהים׃

Et ambulabat Hanochus cum Deo.

MAgnae fidei ac sanctissimae vitae viris vnice conuenit conuersationis cum Deo laus. Nam, qui *Peripatetici Deo*, vt *Paulini Nolani* phrasi loco interpretationis dicti nostri vtar, esse volunt, necesse est absque naeuis existant & labe, quod & Abrahamo iniunctum legimus Genes. XVII. 1. Nec abludunt οἱ ἔξωθεν. Olim, Cecropis & Lycaonis aeuo, tantam Deos inter ac homines familiaritatem fuisse testatur *Pausanias* in Arcad. vt hi illorum non raro hospites & conuiuae fuerint, in iustitiae pietatisque meritum; multi etiam in coelum recepti, quibus suus adhuc constet honor. Iam vero, vitiis orbem replentibus, secus se habere omnia. Ixionem Deorum fuisse conuiuam, fabulae docent. Hireum tres simul Deos, Iouem, Mercurium, Neptunum, hospitio liberali excepisse, notissimum est, quale quid de Beniamino, diuinitatem ad se diuertentem recipiente in *Seuach*. fol. 54. a. *Megillah* fol. 26. a. legimus. Silenus Midae narrat apud *Aelianum* Var. Hist. III. 18. Meropida quandam

terram, duas maximas ciuitates illustres μάχιμον καὶ εὐσεβῆ, bellicosam & piam, habentem. Atque huius quidem posterioris incolas ἀναμφιλόγως εἶναι δικαίως, ὡς μήτε τὰς θεὰς πολλάκις ἀπαξιᾶν ἐπιφοιτᾶν αὐτοῖς, *sine controuersia iustos esse, vt neque Dii saepius ad illos venire detrectent.* Cleinis Biabylonius, vir θεοφιλὴς καὶ πλέσιος, tam impense ab Apolline atque Diana diligebatur, vt πλειςάκις ὁμᾶ τοῖς θεοῖς τέτοις ἀφίκετο πρὸς τὸν ναὸν τᾶ Ἀπόλλωνος τᾶ ἐν Ὑπερβορέοις, *frequenter cum his Diis ad templum Apollinis, quod est apud Hyperboreos, venerit*, narrante *Antonino Liberali* fab. XX. ineunte. Possis & sic diuina oracula exponere: *ambulabat Deum*, h. e. ipse Hanochus, homo licet, vitam tamen egit prorsus diuinam; plane vt *Hesiodus* Ἔργ. καὶ ἡμέρ. ϒ. 112. de aureae aetatis hominibus canit: ὡς τε θεοὶ δ' ἔζωον, *viuebant vt Dii*, quod inter alia ex eo conspicuum erat, quia ϒ. 116. θνῆσκον δ' ὡς ὕπνῳ δεδμημένοι, *moriebantur veluti somno domiti.* Phrasin Hesiodeam *Virgilius* Ecl. IV. 15. sic effert: *Ille Deum vitam accipiet.*

EPIST.

EPIST. I. AD COR. XIII. 1.

Χαλκὸς ἠχῶν.

Aes sonans.

NOn dubito, quin ad aera & lebetes Dodonaei oraculi, Paulus pro sua antiquitatis peritia respexerit. Erant in Dodonaeo delubro multae pelues se mutuo contingentes, ita dispositae, vt si quis vnam earum attingeret, omnes sonitum ederint; ex quo inani tinnitu, prouerbium Δωδωναῖον χαλκεῖον originem traxit, garrulitatis improbae homines designans. Rem aperit *Stephani Byzantini* fragmentum de Dodone, vbi ille: Ἔστι δὲ καὶ Δωδωναῖον ΧΑΛΚΕΙΟΝ παροιμία ἐπὶ τῶν πολλὰ λαλούντων, ὡς Μενεδήμων φησὶν, ἀπὸ τοῦ τὸν ναὸν τοῦ Δωδωναίου Διὸς τοίχους μὴ ἔχοντα, ἀλλὰ τρίποδας πολλοὺς ἀλλήλων πλησίον, ὥστε τὸν ἑνὸς ἁπτόμενον παραπέμπειν διὰ τῆς φύσεως τὴν ΕΠΗΧΗΣΙΝ, ἑκάστῳ διανέμειν τὸν ΗΧΟΝ, ἄχρις οὗ θιγὼν τοῦ ἑνὸς ἐφάψηται. Celeberrimus *Iacobus Gronouius* vertit: *Aes vero Dodonaeum est quoque prouerbium in eos, qui multa loquuntur; vt Menedemon ait, ab eo quod templum Iouis Dodonaei non habens parietes, sed multos tripodas sibi inuicem appositos; vt qui vnum attingit, per tactum transmittat resonantiam, vnicuique*

impertiat repercussionem, donec iterum attingat illum vnum. Non abludit *Suidas*: Δωδωναῖον ΧΑΛΚΕΙΟΝ. ἐπὶ τῶν μακρολογούντων. Δήμων γάρ φησιν, ὅτι τὸ τῆ Διὸς μαντεῖον ἐν Δωδώνη λέβησιν ἐν κύκλῳ περιείληπται· τούτους δὲ ψαύειν ἀλλήλους, καὶ κροσθέντος τοῦ ἑνὸς, ΗΧΕΙΝ ἐκ διαδοχῆς πάντας· ὡς διὰ πολλοῦ χρόνου γίνεσθαι τῆς ΗΧΗΣ τὴν περίοδον. *Dodonaeum aes*; *prouerbium est de iis, qui multa garriunt. Nam Demon narrat, Iouis Oraculum Dodonae lebetibus fuisse circumdatum, inuicem se contingentibus, atque pulsato vno, reliquos ex ordine tinnisse omnes, ita vt longo demum interuallo sonus in orbem redierit.* Plura non addimus; cui enim isthaec non sufficiunt, adeat Adagiographos. Quare Apostolus, strepitum eiusmodi, continuum illum quidem, sed in auram abeuntem & nullius plane vsus, indigitat. Ait enim: *Si hominum*, siue, omnium gentium, *quin & Angelorum linguis loquar, charitatem vero non habeam, essem aes sonans*, h.e. plane nil aliud forem, praeter aes sonans, similis ei, qui aeris in Dodona tintinnantis titulo a vobis ornatur, loquax scilicet & garrulus, praetereaque nihil.

DA-

DANIEL. XII. 3.

מצדיקי הרבים :

Iustos efficientes multos.

SIc vulgo haec verba redduntur, nec quidquam heic reprehendo, satis gnarus, & rei & vocibus congruam esse illam versionem. Quod si vero quis הרבים *malos* interpretaretur, rectene faceret ? Sane arbitror. Ita enim מצדיק הרבים aequipolleret illi in Prouerbiis XVII. 15. מצדיק רשע Nam, qui *iusti reddendi* sunt, *multi* sunt numero. *Multi* vero siue plurimi, *mali* existunt. Quem in finem vnicum, sed inviolabile, producemus testimonium. Exodi XXIII. 2. haec legimus: לא תהיה אחרי רבים לרעת ולא תענה על רב לנטת אחרי רבים להטות : *Ne sequaris multos ad mala; neue respondeas de lite, declinando post plures, ad peruertendum* ius. Vides heic *malos* & *multos* confundi. Sunt plura oracula, v. gr. Ierem. XII. 10. Malach. II. 6. Psal. III. 3. IV. 7. XXXI. 14. &c. vbi perinde est, siue *multos* interpretari velis, siue *malos* reddere malis. Adprime conuenit illud Biantis: οἱ πλεῖσοι κακοί. Epigramma Graecum:

Τὺς πλέονας κακίυς δὲ Βίας ἀπέφηνε Πριηνεύς.

Quod sic effert *Ausonius* cum in septem sapientum ludo:

Bias Prieneus dixi: οἱ πλεῖστοι κακοί·

tum in eorundem sapientum sententiis, septenis versibus expressis:

Plures esse Bias prauos -- -- --

Terentius in Eunuchi prologo:

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis

Quam plurimis,

hoc est, magis *bonis*, quam *plurimis*, siue malis. Illud enim magis, vt apud Graecos μᾶλλον, in bene multis Auctorum optimorum locis subaudiendum esse, praeter *Frid. Taubmannum* ad Plauti Menaechm. Act. V. Sc. 1. 21. Rudent. Act. IV. Sc. 4. 70. *Dan. Vechnerum* in Hellenol. I. 5. *Laurent. Ramiresium de Prado* in Pentecontarcho cap. 30. p. 184. s. non ita pridem *Lamb. Bos* de mysterio ellips. & *Io. Dauisius* ad Minucii Felicis Octauianum p. 53. ille Batauiae, hic Angliae suae aeternum decus, copiose monstrarunt.

EPIST. AD PHILIPPENS. III. 19.

Ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία.

Quorum Deus venter.

MUlti congesserunt ad hunc textum multa, vt, qua ratione venter dicatur Deus, pateat.

pateat. Effugit vero vnicus adhuc locus illorum diligentiam, quem Paulum ipsum in animo habuisse, fit verisimile. Exstat ille in *Euripidis* Cyclope, quem integrum adponere non poenitebit; immo videtur totus iure huc pertinere. Polyphemus, Cyclopum parens, Vlyssi suadenti, vt de sobria cogitaret vita, Deosque reuereretur, respondet:

Ὁ πλοῦτος, ἀνθρώπισκε, τοῖς σοφοῖς ΘΕΟΣ.
Τὰ δ' ἄλλα, κόμποι καὶ λόγων εὐμορφίαι.

Diuitiae, o homuncio, sapientibus pro Deo sunt. Cetera omnia nil nisi vana grandiloquentia, verborumque fucus.

Paucis interiectis:

Ζηνὸς δ' ἐγὼ κεραυνὸν οὐ φρίσσω ξένε,
Οὐδ' οἶδ' ὅτι Ζεὺς ἐς ἐμοῦ κρείσσων Θεός.

Iouis ego fulmen non reformido, hospes, nec Iouem agnosco praestantiorem me Deum. Sequitur:

Οὔ μοι μέλει τὸ λοιπόν· ὡς δ' εὖ μοι μέλει
Ἄκουσον· ὅταν ἄνωθεν ὄμβρον ἐκχέῃ,
Ἐν τῇδε πέτρᾳ στέγν' ἔχω σκηνώματα,
Ἢ μόσχον ὀπτὸν, ἤ τι θήρειον δάκος,
Δαινύμενος ἐν στέγοντι ΓΑΣΤΕΡ' ὑπτίαν.

Reliqua non curo; (& vt scias) *qua ratione nil curem, attende. Quando desuper imbrem effuderit, hac in rupe opertis fruor tabernaculis, aut vitulum assatum, aut aliquid beluae*

beluae ferae deuorans sub tecto, ventre supinato.

Mox:

Ἡ γῆ δ' ἀνάγκη, κἂν θέλῃ, κἂν μὴ θέλῃ,
Τίκτουσα πόαν, τἀμὰ πιαίνει βοτά.
Ἃ ἐγὼ ὅτῳ θύω, πλὴν ἐμοί, θεοῖσι δ' ἕ,
ΚΑΙ ΤΗι ΜΕΓΙΣΤΗι ΓΑΣΤΡΙ ΤΗιΔΕ ΔΑΙΜΩΝΩΝ.

Terra vero necesse est, velit nolit, herbas proferat, pinguesque reddat greges meos, quos ego nemini immolo; nisi mihi soli (nequaquam vero Diis) atque huic Deorum maximo, ventri.

Pergit illud monstrum:

Ὡς τῷ ΠΙΕΙΝ ΓΕ ΚΑΙ ΦΑΓΕΙΝ τὼφ' ἡμέραν
ΖΕΥΣ ὅτος ἀνθρώποισι τοῖσι σώφροσι,
Λυπεῖν δὲ μηδὲν αὐτόν.

Adeo bibere & edere indies, is demum est Iupiter hominibus prudentibus, nec vllam sibi ipsi attrahere aegritudinem. Non potest magis aptus in rem praesentem adferri locus. Diserte enim Cyclops ventrem suum non modo Deum, sed & Deorum maximum appellat. Eiusmodi hominum τὸ τέλος ἀπώλεια, *finis est exitium*, non modo corporale, quod & sustinuit Polyphemus, oculorum lumine ab Vlysse priuatus, sed & aeternum; est eorum δόξα ἐν αἰσχύνῃ, *gloria in ignominia*; dum enim

nec

nec sacra curant nec profana, quaeuis sibi licere arbitrantes, ignominiosa etiam patrant, plane ad exemplum monstrosi Polyphemi, ex deuoratis humanis carnibus, terroreque vniuersis incusso, adoream quaerentis. Denique τὰ ἐπίγεια φρονῦσι, *terrestria curant*, solliciti vnice cum Cyclope, vt pecora pinguefiant, mulctralia repleantur, mensa sit instructissima, ne quid Deo ventri desit. Hinc eos nulla Numinis cura tangit, immo nec res aliorum. Sibi quippe solis nati, sibi solis viuunt, θεῷ δ' ἐ. Digna tanto parente progenies!

---

1. REG. XVIII. 44.

הנה עב קטנה עלה מים׃

Ecce nubecula adscendit e mari.

NOn modo columna olim nubis, sed & nunc nubes gratiae signum est, illic protectionis diuinae, hic confestim ingruentis pluuiae, diu sane votis expetitae. Grata nubes, quae tantam pollicebatur gratiam. Et gentiles nubem summa veneratione amplexi, secure sub illa latuerunt. Vlyssem, vt tuto delitesceret, Minerua occultauit nube. Testis est *Homerus* Odyss. N. 189.

— — — περὶ γὰρ θεὸς ἠέρα χεῦεν

Παλλὰς

Παλλὰς Ἀθηναίη, κέρη Διὸς ὄφρά μιν αὐτὸν
Ἄγνωστον τεύξειεν,

circum enim Dea nubem fudit Pallas Minerua, filia Iouis, vt illum ipsum ignotum faceret. Viderat Elias ex aqua ascendentem paruam nubem volae instar hominis, euenturae statim pluuiae praesagium. Iam placatum erat numen, iam coelum, antea clausum, aperiendum, iam terra beanda erat pluuia, atque ista omnia nubes praenuntiabat. Singulare est, quod de Achille narrat *Homerus* Iliad. A. 357.

— — — Τὸ δ' ἔκλυε πότνια μήτηρ,
Ἥ μένη ἐν βένθεσσιν ἁλὸς παρὰ πατρὶ γέροντι·
Καρπαλίμως δ' ἀνέδυ πολιῆς ἁλὸς, ἠΰτ' ὀμίχλη·
Καὶ ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο δακρυχέοντος,
Χειρίτε μιν κατέρεξεν,

illum exaudiuit veneranda mater, sedens in profunditatibus maris apud patrem senem. Statim autem prodiit de cano mari, nebulae instar, ac ante ipsum lacrimantem consedit, manum eius demulcens. Ibi nubes, hic nebula, exiguo discrimine; vtraque ex mari prodiit, vtraque fausta, benignitatis index, felicitatis nuncia. Terret nubes & erigit; percellit & consolatur. Nec lux modo Dei sedes, verum etiam tenebrae atque nubes. Vid. David hymn. XVIII. 12. &c. Verum haec cui non nota?

MATTH.

MATTH. XI. 30.

ὁ γὰρ ζυγός μου χρηστός, καὶ τὸ φορτίον μου ἐλαφρόν ἐστιν.

Namque iugum meum ſuaue, & onus meum leue eſt.

NIhil aeque commendat illos, qui ſubiectos imperio populos moderari volunt, quam benignitas & amor erga ſubditos; qui, niſi id fiat, iugum & onus ſuſcipere ſe arbitrantur. Inde eſt, quod a Rechabeamo decem tribus petierint, velit ſe gravi iugo, a Salomone impoſito, leuare, 1. Reg. XII. 4. 2. Chron. X. 4. 10. Maxime vero ex initio manſueti regiminis, ſecuturae manſuetudinis ſumebatur initium. Quare & Chriſtus regnum conſtituturus, a terreno tamen immane quantum abhorrens, imperii ſui formam ante omnia deſcripſit. Ipſe rex omnium mitiſſimus, facilitate reget ſibi parentes, vtpote a quorum corporibus iugum acerbum, oneraque grauia repellet. Eſt ille ὁ χρηστός, & iugum ipſius χρηστόν. Itaque longe diuerſo a Phariſaeis modo imperabit; horum enim vnicae videntur deliciae, ponderibus & oneribus miſeros opprimere homines, Matth. XXIII.

XXIII. 4. Nam contra hos directum esse Saluatoris sermonem, quis dubitet? Porro, vt de lenitate, qua dominatus ille constat, rite iudicare possimus, lubet succincti, at neruosi, commentarii loco adscribere *Harpocrationis* verba, mirifice textum praesentem illustrantia. Sic ille, voce ἐλαφροτάτης. Ἐν ἐπαίνῳ λέγεσι τὸ ὄνομα οἱ παλαιοὶ, ἀντὶ τῆς πραοτάτης. κατὰ τὸ ἐναντίον τῆς βαρυτάτης καὶ φορτικωτάτης. *In laudem adhibent hoc vocabulum veteres, pro* πραοτάτης, *vt opponant illis, qui maxime immites & horridi, omniumq; molestissimi sunt.*

GENES. V. 24.

ואיננו כי לקח אותו אלהים׃

Nec comparebat, quia assumserat eum Deus.

EPIST. AD EBR. XI. 5.

Καὶ οὐχ ηὑρίσκετο, διότι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός.

Nec fuit inuentus, eo quod transtulerat eum Deus.

OPortet sane, cuius viuendi dignitatem supra considerauimus eius gloriosam μετάθεσιν celebrare. Non potest vlli mortalium maior felicitas contingere, quam & viuus cum Deo ambulare, & vitae huic, sed non intercedente

dente morte, exemtus, numini maiestatique eius adhaerere. Atque hac beatitudine intimos tantum Dei amicos perfrui, gentiles etiam adfirmant. Vnde nonnisi pauca eius exempla ad nos transmissa sunt. Eliam, curru & equis igneis, turbine in coelum transiisse legimus 2. Reg. II. 11. nec per anxiam licet trium dierum inquisitionem repertum fuisse; sic enim ℣. 17. ולא מצאהו καὶ οὐχ εὗρον αὐτόν. Plane ad hunc modum, coorta tempestate cum magno fragore tonitribusque, denso imbre opertum Romulum, atque sic sublatum ex hominum coetu, *nec deinde in terris fuisse*, Liuius I. 16. auctor est; *Tertullianus* vero, si recte recordamur, mendacii scalis in coelum adscendisse commemorat. De Semiramide refert *Diodorus Siculus* II. 20. quod ex conspectu hominum sese subduxerit, tanquam migratura ad Deos. Aeneas Deus Indiges habitus est, ideo quod corpus ipsius in fluuio disparuerit, notante *Seruio* ad Virgilii Aen. Euthymum, strenuum apud Locros pugilem, ad flumen Caecinum descendentem, ἀφανισθῆναι, nunquam deinceps comparuisse, fide *Aeliani* Var. Hist. VIII. 18. constat. Et quidem omnes, simili ratione hominibus subtractos, in Deorum numerum abiisse discimus, quod & dicebatur de illis, quorum corpus post

mortem nusquam inuentum est. Notum est Mosis exemplum, Deuteron. XXXIV. De corpore Aspalidis puellae, sibi ipsi, ne tyranno cuidam, Tartarus a peregrinis, ob ferociam, dicto, in potestatem veniret, neue ab eo vitiaretur, laqueo gulam frangentis, haec consignauit *Antoninus Liberalis* fab. XIII. p. m. 76. Τὸ δὲ σῶμα τὸ τῆς Ἀσπαλίδος ἐξερευνῶντες πάντα τρόπον, ὅπως κηδεύσωσιν ἐπισήμως, οὐκ ἠδυνήθησαν εὑρεῖν· ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἠφανίσθη κατὰ θεόν. *Corpus vero Aspalidis summa cum cura requirentes* (Melitenses) *quo honeste sepelirent, nullibi inuenerunt, quandoquidem illud, volente sic Deo, euanuit.*

EPIST. I. AD CORINTH. XI. 10.

Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, διὰ τοὺς ἀγγέλους.

Debet itaque vxor potestatem habere supra caput, propter Angelos.

QVi de capitis tegmine muliebri, subiectionis indicio, textum hunc capiunt, nae illi egregie decipiuntur. Iam commate 5. & 6. velandum esse orantis feminae caput praeceperat Apostolus, neque adeo molesta repetitione opus. Inde vero a versu septimo digni-

dignitatem viri prae muliere, vsque ad ℣. 13. ex occasione enarrat, dicens, maritum esse caput vxoris ℣. 7. hanc ex illo conditam ℣. 8. nec virum propter vxorem, sed hanc propter illum creatam ℣. 9. cui argumento confestim subiungit conclusionem: διὰ τοῦτο, *ideo mulier debet habere potestatem in capite.* Hic est nexus euidentissimus, quem qui non agnoscunt, diuino scriptori contradicunt. Demonstrata sic viri dignitate & inde fluente in vxorem potestate, ne nimium sibi concessum arbitraretur, suaque potestate abuteretur maritus, addit, quae ℣. 11. 12. comprehenduntur, atque tum redit ad id quod versu 5. ac 6. dicere inceperat, tecto nimirum capite orandum esse mulieri, vti viro aperto; quod in hoc libertatis & dominii, in illa obsequii nota esse debeat. Quamobrem per ἐξουσίαν, significatu vocis proprio seruato, *potestatem* viri in feminam intelligimus, quam haec *supra caput suum habere debet*, id est, agnoscere. Notandum quippe, ἐξουσίαν poni μετωνυμικῶς pro ἐξουσιάζοντι, prorsus vt Rom. XIII. 1. 2. 3. ἐξουσίαι vocantur personae, Magistratu fungentes. Ibi potestas ciuilis, hic oeconomica. Nec id inusitatum vtriusque foederis scriptoribus. Sic enim Luc. II. 30. σωτήριον occurrit pro σωτήρ. Sic Iesaj. LX. 17. ושמתי פקדתך שלום

& ponam praefecturam tuam h. e. praefectos *pacem*, ונוגשיך צרקה *exactoresque tuos iustitiam, vbi recte* οἱ ὁ. *interpretantur*: καὶ δώσω τὰς ἀρχοντάς σε ἐν εἰρήνῃ, καὶ τὰς ἐπισκόπους σε ἐν δικαιοσύνῃ. Plura non damus. Cui enim hoc non sufficit, ei nihil satis, & satis nihil. At hic obuerti nobis possit illud 1. Cor. VII. 4. ἡ γυνὴ τοῦ ἰδίου σώματος οὐκ ἐξουσιάζει, ἀλλ' ὁ ἀνήρ· ὁμοίως δὲ καὶ ὁ ἀνὴρ τοῦ ἰδίου σώματος οὐκ ἐξουσιάζει, ἀλλ' ἡ γυνή. Dici ergo non posse maritum ἐξουσίαν γυναικὸς, vti nec hanc ἐξουσίαν ἀνδρός. Enimuero, illic potestas in corpus coniugum aequalis, & quidem quoad ὀφειλομένην ἔυνοιαν, qua de antecedenti commate, vsumq; coniugii τεκνοποιητικοῦ, innuitur, quod cuiuis attente legenti manifestum. Manet itaque maritus ἐξουσία mulieris in ceteris omnibus, vtpote cui istud priuilegium concessum est Genes. III. 16. והוא ימשל בך καὶ αὐτὸς σε κυριεύσει, mulieri gloria obsequii & ὑποταγῆ vnice relicta, 1. Cor. XIV. 34. Ephes. V. 22. 24. &c. Porro ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐξουσίαν, idem est ac, superiorem se, ἔχοντα τὴν ἐξουσίαν, agnoscere & habere. Quam ego locutionem ex Ebraica arbitror expressam lingua, qua dicitur *Magistrum, Dominum & Praeceptorem supra caput suum habere*, id est, sibi praepositum agnoscere & venerari. Is si non amplius res nostras moderatur, *a capite nostro abla-*

ablatus habetur. Liquido hoc constat ex 2. Reg. II. 3. & 5. ubi filii Prophetarum iterata ad Elisam vice, *nostine*, inquiunt, *quod hodie ablaturus sit Deus* את אדניך *Dominum tuum* מעל ראשך *a capite tuo* ἐπάνωθεν τῆς κεφαλῆς σου, secundum LXX. Interprett. Fuisse vero Eliam vere herum Elisae, discas licet ex 1. Reg. XIX. 22. Non sane dissimilis est formula, quando ἄρχοντες dicuntur capitibus imponi. Ita Ies. XLIII. 4. in versione Graeca: δώσω ἄρχοντας ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς σου. Quare & mulier *super capite suo habere debet talem potestatem*, siue, reputare secum, diuinitus *impositam esse capiti* suo illam ἐξουσίαν, virum ipsum, cui lubenti animo sit parendum, & hoc inprimis διὰ τὰς ἀγγέλους, hoc est, ad imitationem Angelorum, & ἐξουσιῶν in coelo, quae, vti supremo Numini sunt subiecti, 1. Petr. III. 22. ita mulier marito, qui est εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ. Vel: διὰ τὰς ἀγγέλους, vt adstantes inseruientesque Angeli, dum promtum illud sequioris sexus obsequium conspiciunt, habeant de quo laetentur; quae sola diuinorum spirituum, faciem Dei perpetuo intuentium, Matth. XVIII. 10. praesentia, efficere debet, ne quid in suis vnquam officiis iure desiderari possit. Haec est nostra de obscuro loco sententia. Fauebunt conatui, qui secum perpenderint, quan-

tis difficultatibus, secus sentientium interpretamenta, premantur.

IES. III. 1.

משען ומשענה

Scipionem & baculum.

EXtremam calamitatem descripturus Vates, primo loco *baculum* ait auferendum *& scipionem* vna cum subsidiis vitae, quae *sustentaculi panis & aquae* insignit nomine. Subsequentur fortium, sapientum, religiosorum, omniumque clarorum hominum ruinae, vt vere Lerna malorum istud aeuum sit vexatura. Plana sunt posteriora & perspicua, sed priora latent; adhuc enim sub iudice lis est, quid משען sit & משענה Ego vix dubito, *vtriusque sexus posteritatem* his *vocibus*, & *masculino & femineo genere elatis*, designari, initio miseriae facto a morte successorum. Quamobrem משען bacillum marem, si ita loqui liceret, משענה autem scipionem feminam denotabit. Non est nouum, homines in Codice Sacro baculos & fulcra nominari. Nam de Aegyptiis adhibetur Ezech. XXIX. 6. ipsaque Aegypto, 2. Reg. XVIII. 21. Ies. XXXVI. 6. & quidem constanter in forma nomi-

nominis feminina משענת Iam vero, cum vtroque genere verba noſtra incedant, quis credat משען tantundem eſſe ac משענת ad quid enim, quaeſo, fruſtranea illa repetitio? Vtique diſtinctum heic denotari ſexum, arbitror. Profecto enim tam mares quam feminae baculi ſunt familiarum. Quod licet probatione non egeat; tamen, ne ſine exemplis locuti fuiſſe videamur, paucos in ſcenam adducemus Graecos. Creon infelicem Oedipum, filias huius indicans, ſic adloquitur apud *Sophoclem* Oedip. Colon. ℣. 885.

Οὔκουν ποτ' ἐκ τώτοιν γε μὴ σκήπτροιν ἔτι
Ὀδοιπορήσῃς.

Non amplius his ſcipionibus poſthac nixus ambulabis. Et ipſe Oedipus ad filias ℣. 1151. Ὦ σκῆπτρα φωτός· *O fulcra viri.* Hecuba Polyxenen ſuam ſic depingit apud *Euripidem*:

Ἥδ' ἀντὶ πολλῶν ἐστί μοι παραψυχή,
Πόλις, τιθήνη, βάκτρον, ἡγεμὼν ὁδοῦ.

Haec pro multis eſt mea conſolatio, ciuitas, nutrix, baculus, dux vitae. Et *Baſilius M.* oratione morali XI. iuxta ordinem, quo Simeon Logotheta illas in vnum coegit, p. 298. filium nuncupat οἶκου λαμπρὸν διαδοχὴν, ἔρεισμα γένους, *illuſtris familiae heredem, generis fulcrum.* Similia his paſſim leguntur innumera. Videtur itaque optimo nexu Prophetae ora-

culum cohaerere, siquidem generalis posterorum sublatio ℣. 1. enarratur, quam rerum comitabitur omnium penuria. Huic subiicitur ℣. 2. 3. specialis denominatio e medio tollendorum. Quod si quis per *baculum & scipionem* primogenitos duntaxat vtriusque sexus intelligere velit, nos haud repugnantes habebit. Ita enim κατ' ἐξοχὴν illi dicerentur fulcra, quippe in quorum salute spes potissimum collocatur. Adde, quod sic conueniret optime Nostro cum aliorum sacrorum virorum Prophetarumque comminationibus, qui vehementiam luctus depicturi, primogenitos commemorant, non raro & vnigenitos; sane vtrosque, vita priuatos, vehementissimam doloris caussam praebere, vel suo Aegyptii commonstrabunt exemplo.

LVCAE III. 23.

Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ὢν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσήφ.

Ipse vero Iesus incipiebat esse quasi annorum triginta, existens, vt putabatur, filius Ioseph.

ITa plerumque verti hic solet locus, qui tot Virorum doctorum exercuit ingenia, maximum

ximum iniicientibus ſcrupulum verbis ἦν ἀρ-
χόμενος ὡν, quae per *incipiebat* vulgo reddun-
tur. Succurrit tamen noua ratio exponendi
dictum noſtrum, quam Lectoris iudicio ſub-
mittimus. Παρέλκειν cenſemus illud ἀρχόμενος,
ac ſubeſſe quid ſimile phraſi Ebraicae. Ad
prius quod attinet, interpretationis praeſi-
dium habemus ab ipſo Euangeliſta noſtro
℣. 8. vbi μὴ ἄρξησθε λέγειν poſitum pro μὴ λέγητε,
redundante ἄρξησθε. Idem iudicabis de ſe-
quentibus: Marc. XI. 15. ἤρξατο ἐκβάλλειν, & X.
47. ἤρξατο κράζειν, Luc. XII. 45. ἄρξηται τύπτειν,
XIV. 9. ἄρξῃ κατέχειν, & compluribus aliis, ne
quid dicam de toties recurrentibus locutio-
nibus ἤρξατο κηρύσσειν, διδάσκειν, λέγειν, &c. Nec
id verbo noſtro peculiare eſt, ſed cum
quibusdam aliis commune. Sic δοκεῖν ſaepe
πλεοναζει, vt Matth. III. 9. μὴ δόξητε λέγειν, Marc.
X. 42. οἱ δοκοῦντες ἄρχειν, Luc. XXII. 24. τίς αὐτῶν
δοκεῖ εἶναι μείζων, 1. Cor. X. 12. ὁ δοκῶν ἑστάναι,
Galat. II. 9. οἱ δοκοῦντες στύλοι εἶναι. Hoc itaque
pacto ſenſus foret: *Ipſe autem Ieſus annos
quaſi triginta natus erat.* Sequitur: ὢν, ὡς ἐ-
νόμιζετο, υἱὸς Ἰωσήφ. Adeo perſpicua haec ſunt,
vt alieno colore haud indigeant. Vnicum
adhuc monendum; ſcilicet ἦν ὢν referre for-
ſan Hebraeorum הָיָה הָיָה vehementiſſimis ad-
firmationibus adponi ſolitum. Vide Geneſ.

XVIII. 18. היה יהיה לגוי *omnino erit populus*, 1. Reg. XIII. 32. היה יהיה הדבר *certissime eueniet res illa.* Adde Ierem. XV. 18. &c. Atque sic tota verborum series h.m. flueret: *ipse vero Iesus annos quasi triginta natus fuit* (fuitque, illud enim ἦν repeti facillime ἀπὸ τῆ κοινῆ potest prout Lucae VI. 40. κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσαι positum censet *Beza* pro ὢν ἔσαι) *vere, quod & putabatur, filius Iosephi.* Hoc est, non modo verus Deus exstitit, quod vocabulum Ἰησοῦς infert, sed & verus omnino homo, cuius proinde genealogia adponitur. Quod si illud ἦν geminare nolueris, cum & absque ea repetitione bonus oriatur, rite tantum seiunctis vocibus, sensus: possit tamen supereſſe aliquid simile phrasi, quam dixi, Ebraicae, dum ἦν & ὢν statim se excipiunt. Quaenum vera sint, cogitent, quaeso, qui possunt.

PSAL. XXIII. 4.

שבטך ומשענתך המה ינחמני:

Virga tua baculusque me consolantur.

NOndum ponimus baculos, promoturi pedes vlterius. Volupe enim est scipione gradientem contemplari Dauidem, examinaturi, quid sibi velit. Id quod tanto maiori

iori a nobis suscipietur iure, quanto negligentiores in hac caussa fuisse commentatores inuenimus. Duo sunt baculorum genera; alii quibus innitimur, alii pastoribus & doctoribus proprii, si discrimen a *Gregorio Nazianz.* datum sequi placuerit. Sic enim ille orat. in Pascha p. 257. edit. Graecae Basil. 1550. περὶ δὲ τῆς βακτηρίας ὅτως ἔχω, -- τὴν μὲν ὑπερεισικὴν οἶδα, τὴν δὲ ποιμαντικήν τε καὶ διδασκαλικήν. Ad quemnam ex his referri Noster debeat, fere silent interpretes, nisi quod, qui paulo diligentiores videri volunt, pedum & intelligant & interpretentur, sub quo diuina eloquia censent esse inuoluta. Quae, licet pie satis, non tamen ad rem, dicta sunt. Non vna Dauid similitudine, sed diuersis palam vtitur, siquidem ℣. 1. & 2. pastoritia vnice adhibet vocabula, ℣. 3. viatorum lingua loquitur, denique ℣. 5. lautam peregrinantium, hospitio exceptorum, mensam commemorat, qualis pastoribus vsitata nunquam fuit. Ipsa verba: גם כי אלך *etiamsi ambulauero*, euidenti indicio sunt, non continuari cœptam de pastoribus collationem; confirmant e vestigio sequentes voces: *in valle lethalis vmbrae*; neque enim in locis periculosis cum grege pascunt pastores, ad viridia tantum prata, camposq; amoenissimos excurrentes. At, qui iter faciunt, necesse

cesse est tam inuia quam peruia emetiantur, ac Dryadum siluas saltusque sequantur intactos. Et his quidem baculus non modo fulcrum, sed & vitae tutamen erat. Scipiones armati, quibus hostium vim atque irruptiones propulsabant, indicantur Ezech. XXXIX. 9. *Tum egredientur incolae ciuitatum Israëlis, & incendentes exurent arma, & scuta & clypeos cum arcu & sagittis,* ובמקל יד *& cum baculo roboris hastaque.* Nam sic exponenda mihi videntur illa, secus ac quidam existimarunt, machinas bellicas nescio quas somniantes. Ebraicum etenim *Iad* saepe denotare *robur*, patet ex Ios. VIII. 20. Deuter. II. 37. &c. Baculi roboris dicuntur, vt a vulgaribus discernerentur. Vnde per baculos hosce armatos intelligere fas est ligna longiuscula, ferro in extrema sui parte munita, ad fortius pugnandum laedendumque idonea, vt optime adnotauit *Abrabanel* noster comment. in proph. poster. fol. 207. col. 1. med. a quibus hastae in eo tantum discrepant, quod longitudine supra illos emineant. Verum tales baculi locum heic non habent. Viatorum duntaxat scipiones cogitare debemus, nullam timentium iniuriam, secureque vias regias calcantium. Horum sane longa est antiquitas. Ne enim de Adami baculo, successione

ad

ad Patriarchas & Mosen deuoluto, dicam, de quo multa Iudaei, antiquissimum in promtu est exemplum Iacobi, Genes. XXXII. 11. Iudae, ibid. XXXVIII. 18. Israëlitarum, Exod. XII. 11. Exstat constitutio Rabbinorum, nemini concessum adfirmans, ad templum cum baculo, crumena, calceamentis, adscendere, in *Berachot* IX. 5. & *Gemara* fol. 62. b. fin. consentiente *Maimonide* Hilch. beth habbechir. VII. 1. quod ideo interdictum fuisse volunt, ne ad sacra accessuri speciem viatorum fessorum prae se ferre viderentur, cum promto sit animo cultus Dei perficiendus. Hi viatorum baculi, defatigatis fulcrum praebent & solatium. Quare Dauid, summi Numinis benignitatem cum scipione, cui inniti solent, qui itinera suscipiunt, feliciter contulit. Nam vt absque baculi praesidio difficile est viatori, si non impossibile, longam absoluere viam; sic nec hominibus vita est sine Deo. Fieri insuper potest, vt non modo ad peregrinantes, sed mendicos etiam respexerit Rex, atque his opponat illa, quae vers. 5. & 6. de laute instructa mensa, de poculo exuberante, de bono & gratia per totam vitam sese concomitantibus, commemorat. Fuit enim mendicorum quoque instrumentum scipio, vt vel

ex

ex hoc *Aristophanis* versu Acharnens. Act. II. Sc. 4. p. m. 393.

Α'τὰρ δέομαι καὶ πτωχικῆ βακτηρίᾳ,

sed & indigeo mendicorum baculo, liquet. Permittimus optionem Lectori, sequendi quam velit interpretationem, vel reiiciendi vtramque, si minus placuerint. Quemadmodum enim nec ipsi adprobamus omnia, quae comminiscuntur alii; ita non aegre ferimus, si idem nostrae scrutationi contingit fatum.

MATTH. XIII. 28.

Ἐχθρὸς ἄνθρωπος.

Inimicus homo.

AMplae eruditionis, acutique ingenii Vir, *Henr. Hammondus*, raram hanc phrasin, nec sibi penes exteros inuentam, in Ebraismorum classem detrusit. *Est*, inquit, *Ebraismus*, *qualis* Esth. VII. 6. *Homo aduersarius* (איש צר ואויב) *est iste pessimus Haman.* Nec abire videtur, qui magno doctrinae strepitu in Batauia viuit *Io. Clericus*, ad Hammondianam obseruationem scribens: *Est quidem forte* ἐχθρὸς ἄνθρωπος *Ebraismus.* Enimuero ab ea suspicione locutionem nostram

ſtram liberabit euidens *Demoſthenis* teſtimonium, in orat. περὶ τῆ στεφάνε, p. m. 321. B. edit. Graeco-Lat. Baſil. 1572. fol. παρὰ τοῖς ἕλλησιν, ὅ τισίν, ἀλλὰ πᾶσιν ὁμοίως, φορὰν προδοτῶν, καὶ δωροδόκων, καὶ θεοῖς ΕΧΘΡΩΝ ΑΝΘΡΩΠΩΝ συνέβη γενέσθαι, *apud Graecos non quosdam, ſed ex aequo omnes, prouentus proditorum, muneribus inhiantium, Diisque inuiſorum hominum exiſtere accidit*, &c. Et pag. 317. B. Τὸ μὲν τοίνυν ἐν τῇ πρεσβείᾳ πρῶτον, κλέμμα μὲν Φιλίππε, δωροδόκημα δὲ τῶν ἀδίκων τότων ΑΝΘΡΩΠΩΝ καὶ θεοῖς ΕΧΘΡΩΝ, τοιοῦτον ἐγένετο. *Primum itaque in hac legatione, & Philippi fraus, & acceptio munerum ab iſtis iniquis ac Diis inuiſis hominibus, ſic ſe habuit.* Sicut enim ἄνθρωπον ἄδικον, ita & θεοῖς ἐχθρὸν ἄνθρωπον adpellat. Quorſum refero, non multum hinc abeuntem *Sophoclem* in Oed. Tyr. ℣. 1349. vbi Oedipus ſemetipſum vocat:

Τὸν καταρατότατον, ἔτι δὲ γε καὶ
Θεοῖς ΕΧΘΡΟΤΑΤΟΝ ΒΡΟΤΩΝ

ſummo exſecrandum opere, maximeque Diis inuiſum prae hominibus omnibus. Eſt, fateor, magis recepta phraſis θεοῖς ἐχθρὸς, nude poſita, quam haec, θεοῖς ἐχθρὸς ἄνθρωπος. Nam & *Aelianus* Var. Hiſt. II. 23. Diagoram Melium θεοῖς ἐχθρὸν fuiſſe ſcribit, & *Suidas* in ἔρρε, ex antiquo ſcriptore haec profert: ὦ Ξενοφάνεις, καὶ

Διαγό-

Διαγόραι, καὶ Ἵππωνες, καὶ Ἐπίκυροι, καὶ πᾶς ὁ λοιπὸς ὄχλος τῶν κακοδαιμόνων τε καὶ θεοῖς ἐχθρῶν, ἔρρεσθε. *O Xenophanes, & Diagorae, & Hippones, & Epicuri, & reliqua infelicium Diisque inimicorum turba, in malam rem abitote*; & Philoctetes Vlyſſem, a quo Herculis arcu priuatus indigneque habitus eſt, θεοῖς ἔχθιστον apud *Sophoclem* Philoct. ℣. 1027. nuncupat. Neque tamen id obſtat, quo minus ἄνθρωπος commode ſubaudire debeamus, prout ſimpliciter ἰδιώτης, ἀοιδὸς, ἁλιεὺς, Αἰγύπτιος, *idiota, cantor, piſcator, Aegyptius*, dicitur, nonnunquam tamen cum adiecto ἀνὴρ occurrit. Quod enim aliquando ἐχθρὸς ἄνθρωπος diſerte exprimatur, vel ἐμφάσεως χάριν fieri cenſemus, vel ad deſignandum ſubiectum. Legimus quippe non homines duntaxat, ſed & animalia quaedam τῶν ἐχθρῶν τοῖς θεοῖς nomine, venire. Meminit *Theocritus* idyll. XXIV. 29. ſerpentum ab Hercule in cunis adhuc vagiente compreſſorum, τὰ καὶ θεοὶ ἐχθαίροντι, *quos etiam Dii oderunt*. Vultur *Antonino Liberali* fab. XXI. p. 114. πάντων ὀρνίθων ἔχθιστος θεοῖς τε καὶ ἀνθρώποις, dicitur, idemque fab. XXIV. bubonem, in quem Aſcalaphus, teſte & *Ouidio* Metamorph. V. mutatus, auem eſſe ait, quae ὑπὸ θεῶν καὶ ὑπὸ ἀνθρώπων μεμίσηται; vtpote triſtium nuncia. Hinc colli-

colligimus, per ἐχθρὸν ἄνθρωπον ab Euangelista notanter *inimicum quempiam hominem* declarari, non vero, quod aliquibus placet, daemonem, vtpote de quo commate demum 39. fit mentio, cuius & imaginem malus homo, vicinis inimicus, lolia disseminans, accurate refert.

CANTIC. II. 5.

רפדוני בתפוחים כי חולת אהבה אני׃

Sternite me in citreis, quia aegra sum amore.

BEne est, quod optimus litteraturae Ebraicae stator, *Iac. Gussetius*, concesserit, aurantia hic, nomine תפוחים intelligi, quamuis dubitet, ceteris sacri Codicis locis, vbi hoc vocabulum offendimus, significatum eundem impertire. Cui, si obuerteremus, quod alibi, pag. 328. b. *de consensu non modo recentiorum, verum etiam veterum, interpretumque linguis orientalibus vtentium*, tanquam magni momenti auctoritatisque insignis argumento, pro stabilienda vocabuli cuiusdam significatione, commentatus ipse est simili in materia; nescio, an quid valere ad firmandam vulgo receptam, certe non temere de-

 seren-

ſerendam, vocis תפוח notationem poſſit. Omnes, quotquot conſuluimus, Iudaei, in hoc conueniunt, תפוח eſſe אתרוג citreum. Poma vero Medica, Aurantia, Limonia, tanquam diuerſas ſpecies, ſub malo aureo comprehendi, vel ex *Vlyſſ. Aldrouandi* Dendrol. II. 4. p. 343. liquet. Eſto igitur *Thappuach* idem ac malum citreum vel Medicum. Adfirmat hoc Chaldaeus interpres ad Cantic. II. 3. quando illa: *ſicut* תפוח *inter ligna ſiluae*, in hanc ſententiam conuertit: *quemadmodum pulcra eſt & laudabilis* אתרוגא *malus citrea inter arbores infrugiferas*. In codice *Taanith* fol. 29. b. memoratur שדה של תפוחים *ager citrorum*, id quod in *Toſephot* per אתרוגים exponitur. In *Schabbat* fol. 88. a. haec legas: *Tappuach fructus ante folia protrudit*, vbi iterum Toſaphta: תפוח הינו אתרוג *Tappuach eſt citrus*. Idem in *Schir haſſchirim rabba* fol. 257. col. 4. de *Tappuach* refertur, adeoque & ibi citrus intelligatur neceſſe eſt. Aſſeruo penes me commentarium MStum Iudaei anonymi in Canticum canticorum, ſed imperfectum, in quo ad Cap. II. 3. תפוח exponitur אתרוגא Satis haec ſunt, ad fidem faciendam illis, quae de voce hac diximus, eiusque ſignificatione, a Lexicographis non ſatis adhuc excuſſa. Eſſet in promtu,

ad

ad alia, quae V. C. *Gussetius* contra eam vocabuli acceptionem profert, quaedam reponere, si quidem nostri instituti id foret. Tamen praetermittere non possumus scrupulum, qui male habuit virum doctum, atque hoc effecit, vt aurantium haud denotari verbo nostro crediderit, *quia ejus calamitas est pars magna incommodi publicae, aurantium vero non adeo necessarium est.* Prius collegit ex Ioel. I. 12. quem ideo locum adferre debemus integrum. Ait Vates: *vitis exaruit, & ficus elanguit; malo granatum, & palma & Tappuach, omnes arbores arent, quia exaruit gaudium è filiis hominum.* Ego vero admodum dubito, num *omnium arborum* denominatione, tantum intelligantur necessariae, aut num calamitas necessariis duntaxat arboribus, nec etiam iis, quae ad hominum delicias faciunt, immittenda praedicetur, aut denique, num malus Punica magis necessaria quam citrus. Hanc enim inter necessarias omnino numerari posse, exinde conficimus, quod & oleum ex ea confectum, & tanta passim copia exstiterit, vt siluae etiam citrorum commemorentur *Lucano* Pharsal. IX. 426.

— — — tantum Mauruſia gentis
Robora diuitiae, quarum non nouerat vſum:

Sed citri contenta comis viuebat, & vmbra.
In nemus ignotum nostrae venere secures
Extremoque epulas, mensasque petiuimus orbe.

Et *Martialis* Lib. XIV. Epigr. 89. Atlantica munera, istas citreae mensas ex Mauritaniae monte Atlante petitas, nominat:

Accipe felices Atlantica munera sylvas.

Quas, tantae vtilitatis arbores, vnde tot insuper medicinae proueniunt, auctore *Plinio* XXIII. 6. funditus perdere, magni res est detrimenti. Praetermittenda haec necessario fuerunt expositioni, eius, quem nunc elegimus, loci. Neque alium ob finem ea quis cogitet adducta, quam vt scopulos vitaremus; nostri etenim moris alioquin minime est, quae ab aliis dicta, scripta, meditata euigilataque sunt, temere arrodere. Nunc ad rem. In gratiam aegrotorum, mala medica, vires odore suo infirmis addentia, per lectos fuisse strata, cum ex hoc loco, tum adnexo *Raschii* commentario patet. Hic enim ita παραφράζει: *sternite mihi stratum meum ita, vt vndiquaque citrea illud cingant mala, quo grato eorum odore frui, aegrorum instar possim; nam*

&

& ego aegra sum amore ipsius. Eadem aliquando in manus data, acceptaue. Aristotelem Iudaei narrant, in lecto decumbentem, mortique vicinum, manu tenuisse תפוח cuius se odore recreauerit. Hoc autem vulgaria non praestare poma, manifestum est. Quare & illic perpetuo *Tappuach* de pomo Medico interpretabimur, etsi nec amicissimus *Losius*, qui *Sepher hattappuach* Latine sermone, cum doctis adnotationibus euulgauit, nec antiquorum quisquam hoc attendit. Nam, ut ex vetustioribus quendam proferam, Manfredus (apud V. CL. *Io. Alb. Fabricium* Biblioth. Gr. Lib. III. 6. p. 166.) qui & ipse Latine transtulit dictum libellum, non aliter quam *de Pomo* illum nuncupat, scribens in praefat. *inter Theologica & Philosophica documenta nobis occurrit liber Aristotelis, Principis Philosophorum, qui de Pomo dicitur.* Et tamen aliter haec conuertenda esse, quis non videt? Libet audire *R. Abrahamum Leuitam*, Pomi, vt vulgo creditur, Aristotelici interpretem Rabbinicum, qui haud procul initio Philosophum, lecti adfixum, amicis stipatum חולה ובידו תפוח והיה graviter laborantem, manu Medicum malum tenentem, odorantemque, nobis sistit. Mox Philosophus, ore nostri *Losii* ita

 fatur:

fatur: *Scio me moriturum, neque spem vllam valetudinis mihi superesse; maximo enim dolore afficior, ac nisi hoc pomum* (citreum puta) *quod in manu habeo, me confortasset optima sua fragrantia, eiusque virtute vitam paululum prolongassem, iam exspirauissem.* Sub calcem libri haec legas: *Cui sermoni, cum Philosophus finem imposuisset, languet manus, & concidit pomum* (melius: *decidit vel excidit citrus*) *ex ipsa, contorpuit* (forte, *obtorpuit*) *vultus & mortuus est.* Adeo malum Medicum, ad virium robur sustinendum, vsque ad extremum vitae halitum, aegrotis profuit; inesse enim illi magnam vim odoram, fatentur omnes. Accipe coronidis loco verba *R. Simeonis* ex *Ialkut* Part. II. f. 177. b. תפוח ריחו טוב מכל האילנות: *Citri odor, reliquas arbores, quotquot sunt, omnes suauitate superat.*

MATTH. XXI. 41.

Κακοὺς κακῶς ἀπολέσει αὐτούς.

Malos male perdet.

ELegantissima est adiectiui cum aduerbio, ex se nato, congressus & copulatio, quam, licet satis frequenter in exterorum scriptis inuenire

uenire liceat; neſcio tamen qui euenerit, vt nonniſi pauca hanc in rem colligere exempla viſum fuerit interpretibus, cum tamen vel maxime e re noſtra ſit, liberali manu eiusmodi elegantias ſuppeditare, non exiguo futuras in quam multis vſui. Vnicum duntaxat locum, V. C. *Io. Clericus* ſubminiſtrauit, nimirum ex Ariſtoph. Pluto, ἀπὸ σ' ὀλῶ κακὸν κακῶς. Exſtat ille p. 6. edit. Amſtel. an. 1670. Supplebimus itaque, quod deeſt adhuc, illuſtraturi ex hiſce locutionibus textum noſtrum. *Sophocles* Aiace Flagell. ℣. 1409. κακὲς κακῶς φθείρειαν. *Lucianus* dial. Plutonis & Mercurii circa finem, ἥκετωσαν ἤδη κακοὶ κακῶς ἀποθανόντες, *veniant huc mali male mortui.* Plene reperitur phraſis noſtra in *Cebetis* tabula p. m. 21. ὅσις παρ' αὐτὰ τι ποιεῖ ἢ παρακέει, ἀπόλλυται κακὸς κακῶς, *quisquis illa* (Genii praecepta) *violat vel negligit, malus male peribit.* Similiter *Demoſthenes* pro corona p. 351. A. ſic imprecatur Aeſchini: κακὸν κακῶς σε μάλιστα μὲν οἱ θεοὶ, ἔπειτα δὲ ἅπαντες ἀπολέσειαν, πονηρὸν ὄντα πολίτην καὶ προδότην καὶ τριταγωνιστήν. *Malum male te potiſſimum Dii, tum & hi omnes perdant, improbum ciuem, & proditorem, & tertianum hiſtrionem.* Vnde liquet, in extreme malos eam fuiſſe adhibitam formulam. Huic contraria eſt altera,

sed non minus benigna, si Graeca attendas, quam prior. Xenophon apud *Aelianum* Var. Hist. III. 24. pulcra sibi parauerat ad bellum arma, vt si vicisset hostes, habitu elegantissimo incederet, καὶ ἀποθνήσκοντα ἐν τῇ μάχῃ κεῖσθαι καλῶς ἐν καλῇ τῇ πανοπλίᾳ, *sin occumberet in praelio, pulcer jaceret in armatura pulcra.* Ad eundem modum, quem paulo ante nominauimus, Comicus in Pace, haud procul a fine: καλὴ καλῶς κατακείσει, *pulcra pulcre concumbet.* Et in Acharn. p. 368. edit. cit.

Ἀγ' ὦ θύγατερ ὅπως τὸ κανοῦν καλὴ καλῶς
Οἴσει, —— —— —— —— —

Age filia, tute pulcra pulcre ciſtam feras. Et in Ἐκκλησιαζ. p. 724. δεῦρο καλὴ καλῶς, quod sic reddit *Plautus* Curcul. Act. IV. sc. 2. *sequere istum bella belle.* Haec ex innumeris. Iam debellandus est cerebrosus, quem nonnulli heic fingunt, Ebraismus: aiunt enim, abundans pronomen efficere locutionem ebraizantem. Profligauit illum *H. Stephanus* Thes. Tom. I. col. 602. G. ex *Thucydidis* Lib. IV. prolato testimonio: τῷ δὲ Ἱπποκράτει ὄντι περὶ τὸ Δήλιον, ὡς αὐτῷ ἠγγέλθη ὅτι Βοιωτοὶ ἐπέρχονται, πέμπει τὸ στράτευμα, *Hippocrati ad Delium agenti, vbi Boeotos aduenire nunciatum illi est, mittit ipse copias.* Euertunt eundem, haec *Aeliani* V.H.L.V. 3. Ἀριστέλης τὰς νῦν Ἡρα-

κλείας

κλείας στήλας καλεμένας, πρὶν ἢ κληθῆναι τοῦτο, φησὶ Βριάρεω καλεῖσθαι αὐτάς. *Ait Aristoteles, columnas Herculeas nunc dictas, priusquam sic adpellarentur, Briarei vocatas fuisse illas.* Nec abludunt Latini, è quibus pariter dabimus exemplum. *A. Gellius* II. 3. *H litteram*, inquit, *siue illam spiritum magis quam litteram dici oportet, inserebant eam veteres nostri plerisque vocibus.* Itaque mirari subit, quamobrem viri eruditissimi, qui eiusmodi locutiones apud complures vtriusque linguae scriptores magno numero exstare norunt, tamen cum *Casaubono* ad Apuleii Apologiam, dialecti Ebraeorum proprie hunc esse pleonasmum contendant. Quod sane argumentum si procederet, posthac non laborandum nobis amplius erit de phrasium φοβεῖσθαι φόβον, χαίρειν χαρὰν, similiumque puritate, quum & has Ebraeis proprias esse pertinaciter adfirmabunt, etsi pure Atticos scriptores illis vsos fuisse nemo ignorare possit.

GENES. XVIII. 10.

שוב אשוב אליך כעת חיה והנה בן לשרה אשתך׃

Omnino ad te reuertar, iuxta hoc tempus vitae, atque filius ecce erit Sarae vxori tuae.

NOn conuenit inuicem commentatoribus, quoad vocum: *iuxta hoc vitae tempus*, interpretationem, neque adeo satis faciunt, quae ad illarum illustrationem adferunt. Mea est opinio, hoc velle Mosen: vitam matris ad proximum vsque annum extendendã adhuc esse, intra quem sit paritura filium, exigendumque spatium, quod ad vitam puerulo dandam, requiritur. Atque hoc spatium vocari עת חיה *tempus vitae*. Geminum huic est illud *Homeri:*

Χαῖρε νῦν φιλότητι· περιπλομένῳ δ' ἐνιαυτῷ
Τέξεις ἀγλαὰ τέκνα.

Fruere nunc amore; at quum se verterit annus, praeclaros paries filios. Quorum verborum sensum, Fauorinus ait apud *Gellium* III. 16. hunc esse, non confecto anno, sed affecto, hoc est, proxime ad finem progresso deductoque, siue, decimo mense tale euenturum. Hunc namque mensem partionis tempus tradunt veteres. Auctor libri Sapientiae VII.

VII. 2. ἐν κοιλίᾳ μητρὸς ἐγλύφην σαρξ δεκαμηνιαίῳ χρόνῳ, *in vtero matris caro formatus sum, decemestri tempore.* *Moschus* idyll. IV. 83.

Οὐδὲν γὰρ νεμεσητὸν ὑπὲρ τέκνυ γοᾶσθαι
Μητέρι δυσπαθέοντος· ἐπεὶ δέκα μῆνας ἔκαμνον,
Πρὶν καὶπέρ τ' ἰδέειν μιν, ἐμῷ ὑπὸ ἧπατ' ἔχοισα.

Neque enim culpanda est si propter filium genat mater miserum; quandoquidem decem laboraui menses, antequam ipsum conspicerem, quem sub hepate meo habebam. Semele, Cadmi filia, ex Ioue grauida, fulgure ac igne, quibus Iupiter armatus ad illam venerat, periit. Iussit vero Deorum parens, vt Mercurius Semeles ventrem incideret, ad seque ἀτελὲς τὸ ἔμβρυον ἑπταμηναῖον *imperfectum septem mensium foetum* adduceret, quem Iupiter, dissecto femore proprio, intra se recepit, vt, quod deerat, perficeret, καὶ νῦν τρίτῳ ἤδη μηνὶ ἐξέτεκεν αὐτὸ, *atque tertio iam mense peperit*, vt est apud *Lucianum* dial. Neptuni & Mercurii. Quod tempus si computes totum, decem omnino conficit menses. Audiamus quoque *Macrobium* Saturnal. Lib. I. *Saturnum Apollodorus alligari ait per annum laneo vinculo, & solui ad diem sibi festum, id est, mense hoc Decembri. - - - Significari vero, decimo mense semen vtero animatum in vitam grandescere, quod donec*

erum-

erumpat in lucem, mollibus naturae vinculis detinetur. Hodie vero nouem mensibus gestationem vteri describimus, & cum nobis Iudaei; quale quid in vetustissimis etiam inuenias. Testis est auctor anonymus, de formatione foetus, cuius fragmentum exhibet integrum, bene de litteris orientalibus meritus *Wagenseilius*, in bonae frugis pleniſſimo ad Sotam commentario, pag. 75. testis *Abrabanel* ad Ionae II. 1. testis *R. Simeon* in Pera Part. I. fol. 9. col. 3. testis auctor expositionis magnae in Genesin fol. 13. col. 3. testes sexcenti adhuc alii. Neque tamen hos inter & illos tanta animaduertitur differentia, quae componi nequeat; siquidem patet, eos qui decimo mense foetus vtero egredi statuerunt, lunares intellexisse, quorum singuli XXVII. constant diebus, horis octo; ciuiles autem in animo habuisse, qui nono mense in lucem prorumpere infantem tradiderunt, & talis mensis XXIX. complectitur dies, ac horas fere XIII. Nemo id tam diligenter docuit, quam *Ramiresius de Prado* in Pentecontarcho cap. 3. qui consulendus. Ista vero ad Ebraeos non quadrant, quae de lunaribus mensibus dicuntur, eo quod manifestum est, illos primitus nonnisi solares habuisse menses, adeoque partus tempus nono mense,

non

non decimo, definiuisse. Vnde, quod de filio Abrahamo pollicetur Deus, aliter intelligi non debet, quam iuxta computum illorum seculorum. Quamobrem per עת חיה *vitae tempus* illud signari credimus spatium, quod, vt vitalis sit foetus, perfectusque in vitam prodeat pusio, insumi debet. Notatu maxime dignum, phrasin, כעת חיה *iuxta vitae tempus*, de nulla alia re adhiberi per totam Scripturam Sacram, quam de promissione infantis; consule Genes. XVIII. 14. 2. Reg. IV. 16. 17. nam his in locis, eam duntaxat offendimus. Quod ipsum argumento esse potest, pro ratione rei, de qua sermo, capi debere hoc: *secundum tempus vitae*, vt adeo sensus hic nostri sit: Reuertar omnino ad te, exacto tempore illo, quod conceptioni, formationi, gestationique in vtero dicatum est, quo bene a tergo posito communi hacce vita frui incipiet infans, recens natus. Nihil repugnare animaduerto (praefiscine dixerim) huic expositioni; immo etiam congruere video omnia: quod vt ostendam ipse, nemo exspectabit, ne nimium mea mihi placuisse videatur Helena.

1. EPIST. AD CORINTH. XV. 32.

Ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ.

Aduersus bestias pugnaui Ephesi.

PAulum reapse cum bestiis certamen inire coactum fuisse, quo minus adhuc credam, varia impediunt. Neque enim Lucas in Actis, vbi res ab Apostolorum summo gestas diligentissime persequitur, neque quisquam ceterorum scriptorum illius meminit historiae, notatu alioquin dignissimae; quam sane tacuissent minime, talis vnquam si Paulo contigisset. Neque Apostolus ipse, longum periculorum suorum catalogum in posteriore ad Corinthios epistola vndecimo capite ordinans, in eiusmodi vitae discrimen sese venisse narrat, quod cetera facile pericula aequat, si non longissime transgreditur. Et habuisset commodam narrandi occasionem, si θηριομαχίαν proprie dictam expertus fuisset. Porro, vtraque ad Corinthios epistola Philippis exarata est; huc vero Paulus migrauerat, Epheso discedens. Consule Actor. XX. 1. Cogitare potius debemus homines, in belluinos mores abeuntes, eoque θηρία vocatos. Siue vero Iudaeos, siue Demetrium intelligas,

telligas, semper quadrabit adpellatio; & cum vtrisque depugnare necessum erat Paulo, Actor. XIX. Qua in re Prophetas imitatus est Noster; nam & illi hircorum, vaccarum, arietum, leonum, vrsorum, nominibus homines designare solent admodum frequenter. Loca non producimus. Euolue saltem Ies. LVI. 10. 11. Plane sic Ioannes anteambulo ille seruatoris apud Matthaeum III. 7. Immo ipse Apostolus ad Philipp. III. 2. Tit. I. 12. Sic etiam exteri. Demosthenes enim ciuitate pulsus, sublatis ad Acropolin manibus exclamauit: ὦ δέσποινα πολιὰς, τί δὴ τρισὶ τοῖς χαλεπωτάτοις χαίρεις θηρίοις, γλαυκὶ καὶ δράκοντι καὶ δήμῳ; Vides, populum Athenienſem belluam vocari? Adhaesit forte aliquid ex Iudaeorum placitis Apostolo; etenim illi alienos a fide Iudaica homines omnes, *bestias* nominare consueuerunt, testibus ipsorum libris etiam vetustissimis. Considera tantum quid in *Berach.* fol. 58. a. *Iebhammoth* fol. 61. a. *Baua mezia* fol. 114. b. *Cerithuth* f. 6. b. legatur. Desiderasne plura? Non dabimus. Dabit autem *Io. Andr. Eisenmengerus* Iudaism. detecto Part. I. capp. 15. & 16. Stylum itaque inuertit Apostolus, a Iudaeis nationes quidem mundi omnes *bestiarum* nomine venire subinnuens, cum tamen euidentissimis subin-

subinde exemplis, ac nuper demum Ephesi, comprobarint Iudaei, non dari populos, cum quibus quoad feritatem componendi sint. Locum habebunt ista, si ad Iudaeos potissimum respexerit Apostolus; sin ad Demetrium & Ephesiorum reliquos, quid obstat, quo minus adfirmemus, in mentem ei fuisse Ephesios adolescentes, qui Ταῦροι aliquando vocabantur. *Athenaeus* Lib. X. Παρὰ δὲ Ἐφεσίοις οἱ οἰνοχοοῦντες ἡἰθεοι τῇ τε Ποσειδῶνος ἑορτῇ, Ταῦροι ἐκαλοῦντο. *Apud Ephesios, vinum ministrantes adolescentes, Neptuni in festis diebus, Tauri nominabantur.* Quo pacto nominis ambiguitate perquam commode vteretur, ad ferinos bouinosque Ephesiorum mores signandos, quos non humano impetu in se ruentes sensit vir sanctissimus. Tauros vero imitari, est ferocire. Vnde *Suidas* ἀποταυρώμενος exponit θρασυνόμενος.

PSAL. CXIX. 87.

כמעט כלוני׃

Parum abfuit, quin consumsissent me.

SOlet Deus in calamitates detrudere homines, quarum cumulo se mox oppressum iri metuunt. Verum, praesto est Numen,

men, inualescentibus malis, suum ostendens auxilium. Et Dauid absumtum pene se existimans, solius Iehouae opem inclamat ψ. 88. *serua me*, inquit, *viuum*, pro *benignitate tua*. Diffidentiae nota est illud כמעט virium propriarum, atque grauissimis designandis vitae discriminibus vtplurimum adhibetur. Nos paucis in praesentia erimus contenti. Salomo ait Prouerb. V. 14. *Propemodum versor in omni malo*, vbi optime LXX: παρ' ὀλίγον ἐγενόμην ἐν παντὶ κακῷ. Rex noster, hymno LXXIII. 2. *Parum abfuit, quin declinauissent pedes mei.* Iterum bene οἱ ὁ. Ἐμοῦ δὲ ΠΑΡΑ ΜΙΚΡΟΝ ἐσαλεύθησαν οἱ πόδες. Reuocat hoc in memoriam Lacedaemoniorum institutum, peculiares fingentium Deos, ΠΑΡΑ ΜΙΚΡΟΝ dictos, quia ex periculo seruabant illos, qui in id venturi erant. Adposui super ea re *Simplicii* in Aristotelis Physic. II. 5. verba: Ἐτίμων τὰς ΠΑΡΑ ΜΙΚΡΟΝ καλουμένας ΘΕΟΥΣ οἱ Λακεδαιμόνιοι ὡς σωτῆρας· ὅτι τὰς μέλλοντας κινδυνεύειν, ΠΑΡΑ ΜΙΚΡΟΝ τοῦ κινδυνεῦσαι διδόντες, ἔσωζον. *Venerabantur certos* παρὰ μικρὸν *nuncupatos Deos Lacedaemonii, tanquam seruatores; eo quod illos, qui periculum subire debebant, seruabant, tantum permittentes, vt propemodum periclitari viderentur.* Bene & sapienter!

EPIST. 2. AD TIMOTH. II. 15.

Ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας.

Recte secantem verbum veritatis.

ALlusum ab Apostolo ad victimarum sectiones, non temere sed cum arte faciendas, quamplurimi opinantur. Quidam tamen lapicidas, & nonnemo aratores diuino Auctori in mente fuisse existimant. Expendendum doctioribus committo, num par sit credere, ad linguam respexisse Paulum, quam veteres ab epulo sacrificiali cubitum ituri in ignem proiicientes, Diis, & Mercurio potissimum, linguarum, sermonis atque eloquentiae datori, consecrabant. Vocabant illud τέμνειν γλῶσσαν. *Homerus* Odyss. r. 332.

Ἀλλ' ἄγε τάμνετε μὲν γλῶσσας — —

Age vero diuidite linguas. Sic *Aristophanes* in Auibus (perperam enim *Erasmus* Chiliad. III. Centur. VII. adagio XLII. Pacem citat) pag. 617.

— — — Ἡ γλῶττα χωρὶς τέμνεται.

lingua seorsim scinditur. Symbolice vero τέμνειν γλῶσσας notat *silere.* Meminit huius expositionis *Scholiastes Apollonii Rhodii* in Argonaut. I. 517. itemque *Eustathius* ad Homeri

meri l. c. ex vetusto commentario, addens τάμνετε γλώσσας videri apte magis dictum, quam τάμνετε τὰς λόγες. En nostram phrasin! Quae si hic admittenda foret, sensus esset, sic versandum in annunciatione verbi veritatis, vt cogitemus semper, quid loquendum, quo modo, & quamdiu. Videtur quodammodo talem expositionem flagitare comma sequens: *profanos autem illos de rebus inanibus sermones auersare.* Verum hic nihil definio. Scio difficile esse, accurate decernere velle, quid D. Paulo, cum haec scriberet, in animo fuerit tam multis tamque diuersis existentibus rebus, quae possunt omnes ὀρθοτομεῖν. Noui & illud, ἐργάζεσθαι, ἔργον, ἐργάτης, non de vno opificio, vel artificio, hominibusque illud tractantibus, sed bene multis, atque inuicem diuersis, adhiberi.

NVMER. V. 23.

וכתב את האלת הכהן בספר ומחה אל מי המרים׃

Tum inscribet diras istas sacerdos libello, delebitque eas aquis istis amaris.

VArii castitatis experiundae probandaeque fuerunt modi, sed nullus tam illu-

ſtris atque is, qui aquis maledictionem inferentibus peragebatur, & quem praeſenti capite depingit Moſes. Scribi debebat exſecrationis formula in ſcheda peculiari a ſacerdote, quem in finem ſub templo ſecundo auream tabulam, feralia verba inde deſcribenda, complexam, in conclaui quodam adſeruatam, & vel ex Nicanoris porta ſuſpenſam fuiſſe, ab Helena, Adiabenorum regina donatam, legimus in *Ioma* III. 10. *Gittin* fol. 60. a. & in Tzemach Dauid *R. Dauidis Ganzii* pag. 90. verſ. Vorſtianae, & alibi. Suſpicari licet, factum hoc imitatos gentiles. Inuenimus nobile teſtimonium apud *Achillem Tatium* de Clitoph. & Leucipp. amoribus Lib. VIII. pag. 515. egregie ad inſtitutum noſtrum facientem. Eo in loco, quo Rhodopis, formoſiſſima Nympharum, in fontem a Diana commutata eſt, quae de amiſſa virginitate ſuſpectae erant, experimentum dare pudicitiae debebant, deſcendendo in illum Stygis fontem, cuius vnda vix medias tangit tibias. Cetera narrantem audiamus *Tatium*: Ἡ δὲ κρίσις· ἐγγράψας τὸν ὅρκον γραμματείῳ μυρίνθῳ δεδεμένον περιεθήκατο τῇ δέρῃ· κἂν μὲν ἀψευδῇ τὸν ὅρκον, μένει κατὰ χώραν ἡ πηγή. ἂν δὲ ψεύδηται, τὸ ὕδωρ ὀργίζεται, καὶ ἀναβαίνει μέχρι τῆς δέρης, καὶ τὸ γραμματεῖον ἐκάλυψεν. *Iudicium ſic fiebat: inſcripto iure-*

iureiurando tabulae cuidam, hanc funiculo suspensam, collo alligauit; atque si verum iusiurandum jurat, suis manet inclusa limitibus aqua; sin minus, intumescit, & ad collum vsque se attollit aqua, tabellamque contegit. Nimirum vtrobique iurisiurandi formula exstat, illic שבועה commate 21, hic ὁ ὅρκος: in eodem apud utrosque actu tabula conspicitur, cui istae imprecationes inscriptae; vtrobique aderant aquae eaedemque violentae, si rea criminis istius fuerit. Nec ante nocere poterant aquae amarae, quam vitiata fuisset mulier, nec locum transgrediebantur Stygis aquae prius, quam puella virgo esse desierat. Obtexit & Stygis fons tabulam; pariter sacerdos in V. T. aquis illis amaris deleuerat libellum, cui manu sua malas preces inscripserat. Sagax rerum antiquarum indagator multa huius generis passim odorabitur, industrius perscrutator adnotabit. Nobis specimina dedisse satis est.

IOANNIS VIII. 25.

Τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν.

Id quod a principio dico vobis.

ITa hunc textum exhibent emendatiores editiones; sic volunt, quotquot accurate rem

perpendunt. Nec contrarium me habebunt. Illa tamen interpretamenta veterum aeque ac recentiorum, minus placent. Vt ego arbitror, τὴν ἀρχὴν positum est pro κατὰ τὴν ἀρχὴν, quod saepe fieri, omnes, credo, largientur. Censeo etiam ex antecedentibus suppleri debere nostrum textum, verbo tantum substantiuo, vti vocant, subaudiendo. Ellipsin vero ex iis quae praecesserant, commode nonnunquam esse repetendam, euincent illa loca, quae *Glassius* Philol. S. Lib. IV. tract. 2. obseruat. 9. affert, ex quo & verbi εἰμὶ ellipsin non raram esse disces, Lib. III. tr. 3. can. LVI. Sic igitur, quaerentibus ex Saluatore Iudaeis, σὺ τίς εἶ; respondet: (κατὰ) τὴν ἀρχὴν (ἐιμὶ) ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν, *tam ab initio sum*, vel, *fui*, (nam & haec temporum ἑτέρωσις vsitatissima est; vide saltem Marci III. 19. 20. 31. & ipsius Euangelistae nostri caput VIII. 58.) *quodcunque vobis loquor*, vel *locutus sum*. Disseruerat autem Sospitator noster inprimis de aeternitate sua, quam in animo heic habere, non modo ex ℣. 14. verbis: οἶδα πόθεν ἦλθον, sed etiam ex ℣. 23. ἐγὼ ἐκ τῶν ἄνω ἐιμί. ἐγὼ οὐκ ἐιμὶ ἐκ τῦ κόσμυ τύτυ, patet. Hisce adnectitur ℣. 24. ἐὰν μὴ πιςεύσητε, ΟΤΙ ΕΓΩ ΕΙΜΙ, ἀποθανεῖσθε ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν. Adeo pendent omnia ex cognitione eius, quod Christus sit ℣. 12. lux mun-

mundi, ab aeterno, eiusdem cum patre essentiae. Quem sermonem, arrogantiae plenum existimantes Iudaei, irridentes quaerunt ℣.25. σὺ τίς εἶ; tune reuera es ille aeternus Deus, qui ante omnia iam exstitit? Atqui te putamus hominem, non ita pridem in orbem huncce delatum, id quod palam infra ℣.57. profitentur. Sed respondit Christus: (κατὰ) τὴν ἀρχὴν (ἐγώ εἰμι) ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν, iam ante rerum omnium principium fui id omne, quod hactenus vobis edisserui. Non poterat ad quaestionem a malignis hominibus motam exactius respondere Seruator, quam ad considerationem τῆς ἀρχῆς remittendo, vnde satis cognoscere possint, quid de diuinitate ac aeternitate sua sit iudicandum. Vocem ἀρχῆς non censeo aliter exponendam, quam per vniuersum nouum foedus, & inprimis ab Ioanne sumitur; constat enim nulli Euangelistarum aeque vsitatum illud vocabulum, atque Nostro, quo tum fere vtitur potissimum, quando aeternam Saluatoris originem declarat. Quamobrem non temere ab eius stylo recedendum, vitandaeque illae expositiones, quae magis elegantes sunt, quam verae.

PSAL. LXXV. 7.

כי לא ממוצא וממערב ולא ממדבר הרים׃

Neque enim ab exortu aut ab occasu, neque a solitudine montium.

IMpossibilitas rei describitur ita, vt dicatur, ex nulla mundi plaga tale quid aduenire posse. Vnde & impii, malum nullum contingere sibi posse gloriantur. Dicunt enim nec ab ortu nec occasu solis, neque a solitudine prodituras calamitates; neque etiam, quos vltimo loco memorant, a montibus. Ita enim reddenda putarim posteriora: *neque a solitudine* (vel) *montibus*; nil quicquam obstante forma constructa מִדְבַּר cum saepe hanc pro absoluta poni, etiam semidocti sciant. Per *deserta loca* procul dubio septentrionalem innuit plagam, vtpote a qua desertis claudebatur Iudaea; denique *montes* designant meridiem. Namque montes Idumeae, itemque Tziion ac Moria siti erant ad meridiem. Videntur itaque pessimi hominum id velle, ex nulla mundi plaga ad se delatum iri calamitates, & ne quidem ab illis locis, quibus peculiari modo praesidet sanctissimum Numen; neque fieri posse, vt diuina in se irruant iudicia, vndecunque demum sit.

Qua-

Quatuor vtique orbis partes intelligendas esse res suadet, confirmatque antiquissimi Chaldaei interpretis auctoritas, sic reddentis: *Quoniam non est alius praeter me ab oriente vsque ad occidentem, neque a septentrione solitudinum* ומן דרומא אתר טוריא *neque ab Austro, loco montium.* Et ratio loquendi prouerbialis, qualis & apud Lucam XIII. 29. Καὶ ἥξουσιν ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν, καὶ ἀπὸ βορρᾶ καὶ νότου, & *Sophoclem* Oedip. Colon. ℣. 1237.

ὡς καὶ τόνδε κατάκρας
δειναὶ κυματοαγεῖς
ἄται κλονέουσιν ἀεὶ ξυνέσαι·
αἱ μὲν ἀπ' ἀελίου
δυσμᾶν, αἱ δ' ἀνατέλ-
λουσαι, αἱ δ' ἀνὰ μέσσαν
ἀκτῖν', αἱ δὲ νυχίαν ἀπὸ ῥιπᾶν.

Sic & hunc funditus grauia & procellosa quasi infortunia semper concutiunt, quorum nonnulla ab occasu solis, alia vero ab ortu, quaedam a meridie, reliqua ab atris Ripheis montibus ingruunt.

MATTH. VI. 16.

Μὴ γίνεσθε, ὥσπερ οἱ ὑποκριταὶ, σκυθρωποί.

Ne sitis, velut hypocritae, tristi vultu.

Disceptatum est, num σκυθρωπὸς per *tetricus* reddi debeat, vel *tristis*. Non vere-

mur, postremam significationem dicto nostro adplicare, tanquam maxime propriam. Discamus hoc vel ex *Luciani* dial. Mercurii & Apoll. init. ΕΡΜ. Τί σκυθρωπὸς εἶ ὦ Ἀπόλλων; ΑΠΟΛ. ὅτι ὦ Ἑρμῆ δυσυχῶ ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς. ΕΡΜ. ἄξιον μὲν λύπης τὸ τοιοῦτον. MERC. *Quamobrem tristis es, Apollo?* APOL. *Quoniam, Mercuri, infelix sum, quantum ad amores.* MERC. *Dignum equidem istud est tristitia.* Heic λύπη tribuitur σκυθρωπῷ, vt vides. Sed magis notatu dignum, quod oraturi, vt religiosi admodum viderentur & insigniter pii, tristi incedere vultu consueuerint. Hoc colligimus ex *Platonis* Alcibiade posteriore, vbi statim ab initio Socrates quaerit ex Alcibiade: ἆρά γε πρὸς τὸν Θεὸν προσευξόμενος πορεύῃ; *Deumne precaturus abis?* atque hoc illud adfirmante, pergit Socrates: φαίνῃ γέ τι ἐσκυθρωπακέναι τε καὶ εἰς γῆν βλέπειν. Constitutum quoque erat, in sacris Iunonis ἱερὰν τῆς Ἥρας σκυθρωπάζειν, μήτε λελουμένην τηνικαῦτα, μήτε κοσμουμένην. *Iunonis antistitem esse tristem, non lotam nec ornatam*, narrante *Plutarcho* Quaest. Roman. 86. Plane is hypocritarum mos erat, vt, etsi non inuocarint Deum, eo quo decet animo, videri tamen voluerint, maximo cum ardore illa cultus parte defuncti esse. Hinc lenti gradus, moeror, contractio frontis, demissio capitis,

pitis, ieiunia, & innumera alia, fucum duntaxat imperitis facientia, quae verae pietatis cultorem vitare fas est.

DANIEL. XI. 37.

ועל חמדת נשים לא יבין׃

Nec ad desiderium mulierum attendet.

QVi haec ad Antichristum vsque protendunt, ac *mulierum desiderium* de eiusmodi adfectu, quo sequiorem sexum appetit dignior, interpretantur, dispiciant velim, numquid cum historiis loquantur. Ego quidem sic existimo, parum accurate vaticinium istud in perdito malignoque homine impleri, si quidem feminarum desiderio illum non teneri dicere voluisset vates; quum tamen omnium seculorum exemplis & quotidiana intelligentia edocti cognouerimus, mulierum semper cupidissimum fuisse τὸν ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας. Tutius itaque, mea opinione, foret, per חמדת נשים *desiderium mulierum* liberos intelligere, sine quibus regnum nihilominus suum stabilire sese posse, ostendit ὁ ἀντικείμενος. Neque enim successores ex se natos desiderat, quippe qui aliis quam puerilibus adiumentis praesidium imperio suo dare di-

re didicit. Quemadmodum *liberi* hoc loco *desiderium* nuncupantur *mulierum*; ita Hos. IX. 16. iidem מחמדי בטן *desideria ventris* adpellantur. Liberos vero feminarum dici posse desiderium, ex Sara, Genes. XVI. Rachele, Genes. XXX. Hanna, 1. Sam. I. ceterisque mulieribus intelligas licet, quas ex desiderio potiundi infantibus laborauisse legimus. Igitur mulieres, non item liberos requirit ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. Reliqua prudentibus lectoribus diuinanda relinquimus; a nobis certe non ediſſerentur.

ACTOR. XVII. 28.

Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

Eius enim & progenies sumus.

HOc praesens Arati hemistichium dudum ora hominum impleuit, vt & illud in aureis Pythagorae carminibus: θεῖον γένος ἐσὶ βροτοῖσιν. Nec plura commentatores. Sed nondum *omnia octo*. Viri cuiusdam principis progeniem esse, non infima laus est. At ex Deo natum esse, omnes honoris titulos supergreditur. Neque humi repentes, tale consecuti elogium; magnis id erat animabus

bus proprium. Ipse Messias צמח ἄνθος, *furculus* vocatur Iesa. XI. 1. Alcmena, nurum suam Megaram, at Herculis vxorem, suum adpellat θάλος, *germen*. Audi *Moschum* idyll. IV. 81. canentem:

Τῷ μηδ' ἐξείπῃς τόγ' ἐμὸν θάλος ὥς σευ ἀκηδῶ,

Quare ne dicas, meum germen, quod te non curem. Lycidas caprarius, sed qui carmen pangere didicit suauissimum, se non inferiorem, & diuino Musarum spiritu afflatum *Theocritum*, quod ipse exponit, idyll. VII. sic compellat:

Πᾶν ἐπ' ἀλαθείᾳ πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔρνος.

Totus reuera germen a Ioue factum. Quo modo & Apollo: Λατοῦς χρυσώπιδος ἔρνος, *Latonae aureo vultu praeditae germen* ab *Aristophane* Θεσμοφοριαζ. p. 784. nuncupatur. Tune hic subsistere hominis dignitatem existimas? Immo, Deus fieri potest. *Euthymius Zygabenus* praef. in Psalmos p. 170. (Tom. I. Var. Sacr. Steph. le Moyne) finem ait sacrorum Dauidis canticorum esse, ἀγαθὸν γενέσθαι τὸν τούτων μαθητήν, καὶ σοφὸν ἢ θεόν, *vt qui illa didicerit, sapiens euadat, immo plane Deus.* Heracliti dictum est, relatum a *Clemente Alex.* Paedag. III. 1. p. 215. A. ἄνθρωποι, θεοί· θεοί, ἄνθρωποι, quod belle interpretatur Clemens; Θεὸς ἐν ἀνθρώπῳ· καὶ ὁ ἄνθρωπος Θεός. Idem subinnuit

nuit inscriptio, Athenis in honorem Pompeii composita:

ΕΦ' ΟΣΟΝ ΩΝ ΑΝΘΡΩΠΟΣ ΟΙΔΑΣ ΕΠΙ ΤΟΣΟΥΤΟΝ ΕΙ ΘΕΟΣ.

Quatenus hominem te esse nosti, eatenus Deus es. Habes illam in *Zonara* Annal. Lib. II. Sic Pythia Lycurgum, non hominem, sed Deum nuncupat. Loca vide infra ad Iacobi II. 23. Quibus titulis humanae naturae praestantia, atque illud excellentis dignitatis fastigium indicatur, ad quod bene factis peruenire licet homini; vt non modo diuinae cum sit originis, coelo tandem recipi, sed & Deum quasi quendam in his terris agere possit. Plus enim non infert haec phrasis, quam ad Deorum similitudinem accedere. Hinc virtute praestantes θεοείκελοι persaepe nominantur Homero.

IES. LXI. 3.

וקרא להם אילי הצדק׃

Vocabuntur illi quercus iustitiae.

ARboribus ob fortitudinem constantiamque in fide, probos homines similes praedicari, nouum non est. Scribunt Ebraei, sibi peculiarem esse hunc titulum, vt ex *Simeone Iochai-*

Iochaide in *Sohar* ad Exodum fol. 50. a. liquet, Israelitas post exitum e captiuitate Aegyptiaca similes fuisse malis medicis omnibusque odoriferis arboribus, ex illo Cantic. VIII. 5. *Iub malo Medica expergefeci te*, probante, eandemque comparationem vlterius enarrante. Huc refero, & ex hoc ipso textu natos puto superbos illos titulos, quibus Doctores suos Iudaei exornant. Videas enim אשלי רברבי *arbores magnas* in Gemara *Auoda* Sara cap. 1. p. 51. edit. Edzardianae nominari Antecessores, atque *Raschium* inprimis hoc epitheto venire. Adhaec אילן גדול quercus magna R. Hillel audit *Abrabaneli* in praefat. ad *Maschmia ieschua* fol. 2. col. 2. Vicissim, *Isaacum Abrabanelem* hoc ipso *quercus magnae* titulo salutat R. *Iuda Leo*, Modinensis, in praeloquio *Haggadae schel Paesach a R. Israele Hassiphroni* compositae. Idem faciunt Rabinorum fere omnes, elogium istud insignioribus Magistris tribuentes. Nec aliter Graeci. Homerus, quando formosos admodum designare vult, cum arboribus eos confert, quod obseruatum est *Aeliano* Var. Hist. 14. his verbis: ὁ δὲ Ὅμηρος ὅταν τὺς καλὺς θέλῃ ἐλέγξαι, δένδροις αὐτὺς παραβάλλει. Quare & eximiae venustatis hominibus pulcerrimas consecratas fuisse arbores legimus; habent enim mutuam

mutuam conuenientiam. Sic platanus Helenae arbor dicitur *Theocrito* idyll. XVIII. 47.

Γράμμα δ' ἐν φλοιῷ γεγράψεται (ὡς παριών τις
Ἀνγνοίη) Δωριστί, Σέβε μ'. Ἑλένας φυτὸν εἰμί.

Litterae autem in cortice (platani) *scribentur* (*vt praeteriens legere queat*) *Dorice: Venerare me, Helenae sum planta.* Huic cur platanus sacra sit, facile coniecturare licet. Diuinae enim pulcritudini nonnisi formosissima arbor conuenit. Iam vero proceram (quomodo paulo ante ℣. 29. Theocritus descripserat Helenam) vmbrosam, elegantemque per omnia esse platanum constat, a Xerxe propterea ornatu pretioso, armillis, torquibusque olim donatam, narrante eodem *Aeliano* II. 14. & IX. 39. Quid? quod Themistocles Neoclis filius ἑαυτὸν ἐῖκαζε ταῖς δρυσὶ, *seipsum quercubus comparauerit*, hac addita caussa, ὅτι ἐκείνας ὑπέρχονται οἱ ἄνθρωποι, καὶ δέονται αὐτῶν, ὅταν ὗῃ, σέγειν ἐκ τῶν κλάδων προθέντες· ὅταν δὲ ἔσης εὐδίας παρίωσι, τίλλεσιν αὐτὰς καὶ περικλῶσιν, *quoniam illas subeunt homines, earundemque indigent, quando pluit, desiderantes a ramis tegi; quando autem sereno coelo praetereunt, vellicant eas, & vndiquaque infringunt*, auctore iterum *Aeliano* IX. 18. Ex quibus illustranda sunt, quae Psalm. I. 3. LII. 10. XCII. 13. Ierem. XVII. 8. & alibi de vere piis, tanquam succi

succi plenis florentibusque arboribus commemorantur. Aliquando vituperium est *arbor*. Cleonymus vocatur ab *Aristophane* Auibus p. 609. δένδρον χρήσιμον μὲν ἐδὲν, ἄλλως δὲ δεινὸν ϗ μέγα: qua adpellatione illum ideo insigniri volunt & *Scholiastes Comici* & *Suidas* v. Ἔκτοπον, quia vel magnae molis homo, vel ἀναίσθητος ϗ ξύλινος *excors fuerit atque ligneus*.

EPIST. I. AD CORINTH. VII. 3.

Τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν ἀποδιδότω.

Vxori vir debitam beneuolentiam reddito.

LArgiter errant, qui praeter coniugale debitum aliud quid intelligunt. Nexus & voces sic postulant. Vitandae fornicationis caussa quemuis uxorem ducere posse concedit Apostolus ℣. 2. subnectens illico leges seruandas in illo corporum contactu, sine quo vxor haberi non potest, vt cum *Augustino* Soliloq. Lib. I. cap. X. loquar, atque ℣. 4. de mutua coniugum in corpora potestate, quaedam adiiciens. Vsurpat D. Apostolus vocabula, quae rem amatoriam produnt. Dum εὔνοιαν

nominat, non obscure simul alludit ad similis soni vocem עונה vel העונה occurrentem cum Exod. XXI. 10. tum in *Cethuboth* V. 6. vbi sic Magistri: העונה האמורה בתורה המיילין בכל יום *Thori opus, de quo lege sancitum, otiosi singulis diebus praestant.* Addere reliqua, non est pudoris mei. Minime negligendum, quod paulo ante תשמיש המטה *lecti munus* vocabatur, id nunc עונה adpellari. Res eadem verbis iisdem enarratur a *Maimonide* Hilch. Ischuth cap. XV. ineunte. Prope accedit alia vox ἐυνὴ, idem designans, quod tecte μικρὰν ἐπιλημψίαν vocabat Sophista Abderites, referente *Clemente Alex.* Paedag. II. 10. pag. 193. D. Sic adhibetur ἐυνὴ ab *Homero* Iliad. Σ. 433. Odyss. K. 296. Aliquando ipsam coniugem infert. Hoc sensu est apud *Chrysostomum* Homil. XXXVIII. in Matth. p. 445. Καὶ εἰγε ἦν ὀνομαστὶ νῦν εἰπεῖν, ἔδειξα ἂν ὅσας ἄνδρας ἀπέχρισαν γυναικῶν, ὅσας ἔλαβον αἰχμαλώτας αἱ πόρναι ἐκεῖναι, τὰς μὲν ἀπ' αὐτῆς ἀναςήσασαι τῆς ἐυνῆς, τὰς δὲ ἐδὲ τὴν ἀρχὴν ἀφεῖσαι ὁμιλῆσαι γάμῳ. *Quod si nominatim compellare omnes liceret, ostenderem sane, quot viros ab voxibus auulserint, quot captiuos duxerint illae meretrices, alios a coniuge abstrahentes, alios vero plane non ad nuptias peruenire concedentes.* Vnde ἐυνηθῆναι in *Hesiodi* Θεογον. ϒ. 132. 373. Porro, vt

ἔννοια,

εὔνοια, *beneuolentia* concubitum declarat, ita & φιλότης, *seu amor*. Vid. *Hesiodus* Theog. v. 125. 306. 375. 380. &c. Supereſt verbum ἀποδιδόναι, quod ipſum ἐρωτικὸν eſſe, magnorum in Graecas litteras meritorum Vir, *Godfr. Olearius* in eruditiſſimis ad Philoſtrati epiſtol. XII. & XX. adnotationibus docuit; feminas dici λαμβάνειν, id eſt admittere, & viros διδόναι, dare quae grata ſunt mulieribus, ſolide commonſtrans. Non opus repetere, quae orbis eruditus, maximo plauſu gratulationem ſignificans, pridem legit.

CANTIC. IV. 1.

הנך יפה רעיתי׃

Ecce, pulcra es, amica mea.

BLandis amatam compellare verbis, venuſtatemque eius potiſſimum laudare, inſtituta Iudaeorum volunt. De R. Iochanane narratur in libro *Iichus hazzaddikim* fol. 32. a. edit. Mantuanae, an. 1561. quod ſumto בר של הדס ramo myrtino ſaltauerit coram ſponſa, haec ingeminans: כלה נאה וחסודא *o pulcram benignamque ſponſam!* Quae petita ſunt ex *Cethuboth* fol. 17. a. vbi eadem non modo refertur hiſtoria, ſed & recitata formula ex

constitutione Hillelianorum praescribitur. Omnino eadem ratione Spartanae puellae ad Helenam sponsam: ὦ καλά, ὦ χαρίεσσα κόρη, apud *Theocritum* idyll. XVIII. Nec, quod de myrto legitur, mirari debes; est enim frons Veneris. Clare *Plinius* XII. 1. *Arborum genera numinibus suis dicata perpetuo seruantur, vt Ioui esculus, Apollini laurus, Mineruae olea, Veneri myrtus.* Quare M. Crassus myrteam aspernatus est coronam, inglorium putans, Venereum magis, quam Martium ducere triumphum. Vid. *Gellius* V. 6. Hinc *Ovidius* Fastor. IV. ℣. 15.

Mota Cytherea leuiter mea tempora myrto
Contigit — — — — —

Haec pulcritudinis praedicatio quum adeo solennis fuisset, consultum duxerunt puellae Hierosolymitanae, publicas choreas XV. die mensis Abh festoque expiationis agentes, ab ea vanitate auocare iuuenes, atque hoc inprimis suadere אל תתן עיניך בנוי תן עיניך במשפחה שקר החן והבל היופי אשה יראת יהוה היא תתהלל: *Noli formae elegantiam, sed familiam potius considerare. Fallax quippe est* Prouerb. XXXI. 31. venustatis *gratia*, *& vana pulcritudo*; *mulier reuerentia Dei* imbuta, *illa laudabitur*, prout memoriae proditum est in *Taanith* IV. 8. Quae ipsa, quum *Aloysius Noua-*

Nouarinus Lib. III. schediasm. Sacro-prof. cap. 25. sed non indicato loco, ubi legantur, adduxisset, atque ex eo *Carpzovius* ad Schickhardi ius regium p. 317. repetiisset, huic, *vnde ista suffratus sit* Nouarinus, *obuium non fuit*. Dantur plures eiusmodi blanditiae, quibus Ebraei, non aliter atque Graeci Romanique, fauorem sexus venustioris quaerere studebant. Sed illae nihil ad nos.

MATTH. XVI. 16.

Σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος.

Tu es Christus, filius ille Dei viuentis.

FAcit haec fidei plena confessio Petri, vt mentem subeat inscriptio templi Delphici, his litteris, vel potius, vnica hac ΕΙ concepta, supremi numinis luculenta, sed gentilium pauciſſimis cognita, denunciatio. Itaque non alienum ab hoc loco fore existimamus, quid ipsi de ea sentiamus, in medium proferre. Duos suppetere modos arbitror, quibus venerabile istud mysterium, exiguo litterarum ductu adumbratum, erui possit. Horum primus est, vt cogitemus ex vetustissimis Ebraeorum figuris ו a Graecis, suo more,

h. e. a laeua dextrorsum, non vt par erat, a dextera siniſtrorſumque lectis, profluxiſſe illud ΕΙ. Quod aeque Graecis ἀληθῆ καὶ ἀψευδῆ καὶ μόνην μόνῳ προσήκουσαν τὴν τοῦ εἶναι προσαγόρευσιν, *veram, certam, ſolamque ſoli conuenientem* (Deo) *adpellationem, qua eſſe dicitur*, vt cum Ammonio apud *Plutarchum*, περὶ τοῦ ΕΙ ἐν Δελφοῖς p. 392. edit. Graeco-Lat. Francof. 1599. loquar, exprimit, quam Ebraeis diuinum nomen יה Certe & res denotatur vtrobique eadem, idem fere litterarum ſonus, figura, valor; nam prout יה quindecim deſignat, ita & ΕΙ. Poſſemus facili negotio vberius iſta exſequi, collatione inſuper cum Phoenicum elementis inſtituta, niſi iam dicta ſufficere crederemus. Altera ratio, & quae magis ſe prae priori commendat, ſipparium quod τῷ ΕΙ obductum eſt, leuandi, penetrandique ad latentem ſenſum, huc redit. Antiquiſſimos Graecorum vnicam litteram Ε pronuntiaſſe inſtar ΕΙ conſtat ex *Athenaei* excerptis: ὅτι ἀρχαῖοι τῷ ἑ ἀντὶ τοῦ ὁ στοιχείῳ προσεχρῶντο· ὡς δὲ καὶ τῷ εἱ ἀντὶ τοῦ ἑ. *antiqui, ἑ adhibuerunt loco ὁ, vti εἱ vice ἑ*, item ex *Euſtathio* ad Iliad. Ε. ἰστέον ὅτι τὸ ἑ στοιχεῖον εἰ ἔλεγον οἱ παλαιοὶ, προστιθέντες τὸ ἱ. *ſciendum, maiores elementum ἑ pronuntiaſſe εἱ, addito iota.* Sic itaque ΕΙ hoc eſt, Ε reſpondebit Ebraico ה quod ſolitarie hunc in

in modum ה pictum formatumque, idem valere ac יהוה quis adhuc dubitat? Intelligi debere quintum in alphabeto elementum, integrum Plutarchi opusculum dilucide prodit. Ita enim pag. 385. quinque denotari sapientes Graeciae illa littera scribit, visumque fuisse ἀναθεῖναι τῶν γραμμάτων ὃ τῇ τε τάξει πεμπτόν ἐστι, καὶ τῷ ἀριθμῷ τὰ πέντε θηλοῖ, *dedicare* (Apollini) *litteram eam quae & ordine quinta est, & in numeris quinque designat.* Tum pag. 388. de quinarii numeri mysteriis ex Pythagoreorum mente multa profert, item pag. 389. de musica, isto numero gaudente; de quinque, secundum Platonem, mundis; de quinque pag. 390. orbis partibus, ab Homero primum excogitatis, aliisque hac occasione differit. Neque Ammonii sententia repugnare videtur coniecturae nostrae, quandoquidem E siue ה non modo signum quinarii numeri est, sed admirabile illud & sublime nomen Iehoua simul declarat, quod ab היה ἀπὸ τοῦ εἶναι deriuari, translatitium est. Ad ethnicos vero vel vmbram arcanorum adpellationis Iehoua peruenisse, probabunt haec ipsius *Plutarchi* p. 393. ἀλλ' ἔστιν ὁ Θεὸς, χρὴ φάναι, καὶ ἐστι κατ' ἐνδεια χρόνου, ἀλλὰ κατὰ τὸν αἰῶνα τὸν ἀκίνητον, καὶ ἄχρονον, καὶ ἀνέγκλιτον, καὶ ὃ πρότερον οὐδέν ἐστιν, οὐδ' ὕστερον, οὐδὲ νεώτερον. *Deus autem, si ita*

loqui licet, est, & tamen nulla temporis ratione est, sed ab aeternitate immobili, vicissitudinis temporum inclinationisque experte; in quo nihil prius est, nihil posterius, nihil futurum, nihil praeteritum, nihil antiquius, nihil recentius. Apertissime, nonnullis interiectis, profitetur, institutum fuisse, Εἰ φᾶναι πρὸς τὸν Θεὸν, ὡς ἀδέποτε γενομένης περὶ αὐτὸν ἐκστάσεως καὶ μεταβολῆς, *Et adpellare Deum, declaraturi, nulli eum conuersioni mutationiue obnoxium esse*, congruenter illi apud Malachiam III. 6. supremi Numinis effato אני יהוה לא שניתי *Ego Iehoua non mutor.* Tria tempora nomine יהוה expressa, vna itidem columbarum vel Πελειάδων in oraculo Dodonaeo, sequenti responso haud obscure testata est:

Ζεὺς ἦν, Ζεύς ἐστι, Ζεὺς ἔσσεται — — —

apud *Pausaniam* in Phocicis. Huc collineat toties repetita decantataq; in Saide inscriptio: Ἐγὼ εἰμὶ πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον. Cuiusmodi confessionibus, veritatem essentiamque Dei aliqua ratione innotuisse gentilibus, probatum dare possumus; quin & ab inuitis, quandoque etiam ipsis malignis spiritibus, profectas illas esse, historiae sacrae pariter ac profanae, nec non oracula gentilium loquuntur.

ECCLE-

ECCLESIASTAE XII. 4.

וסגרו דלתים בשוק בשפל קול הטחנה ויקום לקול
הצפור וישחו כל בנות השיר׃

Claudenturque valuae foras, deiecta voce molendi, & surget ad vocem auiculae, deprimenturque omnes filiae cantus.

SIc sonant Ebraea, si verbum verbo reddas, Quum obscurus valde, omnium confessione, sit locus, constitutum est interpretationem ab ipso Salomone desumere, quod exponendi genus tutissimum habetur. Sensum verborum hunc omnino putamus: Fruere, iuuenis, voluptate ex animo tuo, priusquam adueniat illud tempus, quo *occludentur fores*, per quas exitus *in plateam* conceditur, *imminuta voce* strepituque *permolendi*, *subsistenteque ad vocem auis*; antequam *prosternantur omnes filiae cantici*. Nec haec satis perspicua sunt, fateor; clariora tamen euadent, si mox dicenda addantur. Dixerat Cap. XI. 9. rex: *Laetare, iuuenis, in iuuenta tua, & exhilaret te animus tuus in iuuentute tua, ac sequere vias animi tui, oculorumque tuorum ductum.* Quas inter iuuenilis voluptatis delicias, familiarem cum se-

xu ſequiore conſuetudinem, non vltimum habere locum, ex veteris Teſtamenti (ſi noſtra non ſufficeret aetas) hiſtoriis, & illorum hominum exemplis, quorum tempore terrae ſanctae imperabat Noſter, demonſtrari poſſit, niſi vel ipſe Salomo otia nobis feciſſet. Vnde & has cupiditates ſuo quemque periculo exſequi, & quod libido diſtenta dictat, perficere poſſe, vsque dum moroſa ingruat ſenectus, ea conditione largitur ſapientiae fama per orbem illuſtriſſimus rex, vt ſimul futuri iudicii, diei cenſorii, mortis obrepentis, dandaeque factorum omnium exactiſſimae rationis, memoria recolatur, quae ſola futiles iſtas vanitates procul eſſe iubebit. Satius foret, ſi eiusmodi homines recordarentur creatoris, dum flos aetatis viret adhuc, dum maximas vitae iucunditates percipiunt. Antequam claudantur fores in plateam ducentes; hoc eſt, priusquam prohibeantur, non tam animi quam corporis facultatibus ſerio repugnantibus, euagari liberius, remediumque quaerere tertianae, vt *Arbiter* loquitur. Chaldaeis meritorius audit נפק בר *vagans diſcurrensque foris*; vide Targum Hieroſolymit. ad Deut. XXIII. 17. & נפקת בראּ venalis pudicitiae mulier dicitur interpreti Chal-

Chaldaeo ad Geneſ. XXXIV. 31. Leuit. XXIII. 25. & inprimis Nahumi III. 4. Graecis vaga eiusmodi femina φοιτὰς nuncupatur, eo quod ſoleat φοιτᾷν εἰς ὁμιλίαν ἀνδρῶν. Belle conuenit Salomonis deſcriptio, adoleſcentem ſcorta ſectantem ita depingentis, Prou. VII. 7. 8. *Vidi inter fatuos, animaduerti inter filios puerum dementem*, עבר בשוק *tranſeuntem per plateam*. Et ſimilis farinae feminam, ℣. 10. 11. 12. *Et ecce mulier obuiam ei, ornatu meretricio, ſecuraque animo. Strepera eſt & contumax, nec in domo ſua continet pedes ſuos. Modo foris, modo in plateis*, & reliqua. Imminuta voce, fama, ſtrepitu, rumore, *molendi*, vel ſi ita loqui fas eſſet, *molitionis*: obductis nimirum vagae illi libidini repagulis; nec vocem amplius prae ſenecta, ſonitumque emittente amoenum, blandum, illecebris plenum, illa cum qua idem facere aliquis ſolebat, quod Catullus cum Lesbia, cum Cynthia Propertius. Molere enim, non Latinis modo, Graecisque (vide *Theocriti* idyll. IV.) ſed & Ebraeis nuptum eſt vocabulum, & ex Veneris regno petitum, quod ex Iobi XXXI. 10. liquet, quicquid alii obganniant; quemadmodum *ſubigere* ac *ſubagitare* eodem modo adhibetur

tur Romanis atque Ebraeis, Esth. VII. 8. Adde Cod. *Iebhammoth* VII. 5. Sic ידע אשה *Iulius Caesar* de Bell. Gall. VI. 21. extulit *feminae notitiam habere*; nec aliter *Plutarchus* de Alexandro p. 676. D. ὅτε τούτων ἔθιγεν, ὅτε ἄλλην ἔγνω γυναῖκα πρὸ γάμου, πλὴν Βαρσήνης, *nec has*, Darii coniugem filiasque, *tetigit*, *nec vxorem ante nuptias cognouit aliam*, *excepta Barsene*. Recte adnotauit *Maimonius* in More Nebhoch. Part. III. cap. 8. p. 349. seq. versionis Buxtorfianae, tantam esse linguae sanctae verecundiam, vt nullum exstet *vocabulum proprium*, aut generationem aut membra genitalia designans; verum isthaec omnia vocibus *typicis ac metaphoricis* exprimi, quod productis confirmat postmodum exemplis. Quare nihil equidem impedit, quo minus טחן & טחנה in eorundem nominum censum referre possimus; quod vel ex hac causa rite fiet, quia talium vocabulorum pleraque omnia e medio petita sunt. Consule de רוש *Raschium* ad Hos. I. 3. *Abrabanelem* commentar. in proph. poster. fol. 226. col. 1. de פתח & דרס *Cetubhoth* I. 6. 7. de nomine שרה ibidem §. 6. de קף *Nidda* fol. 47. b. ne quid dicam de aliis, non minori copia apud Rabbinos, quam reliquos scriptores, occurrentibus. Pergit Rex noster:

quae

quae subsistit ad vocem auis, id est, cessant iam molles & delicatae cantilenae eius feminae, cuius vox dulcissima haud ita pridem exstitit, quae artis modulandi dulcisonos cantus tantam habuit peritiam, vt nullis locum dederit auibus, cum quibus de suauitate cantus certare videbatur; quas etsi non superauerit, ad parem nihilominus cum iis voculae gloriam *adsurrexit*. Denique addit: & deiicientur omnes filiae cantici, siue, non amplius in scenam prodibunt feminae laeta fundentes carmina, deficiente scilicet gaudendi occasione. *Filiae cantus* dicuntur, quae epithalamia recitant, quales erant duodecim illae Spartanae puellae in nuptiis *Helenae* cum *Menelao* carmen nuptiale canentes, legendum in *Theocrito*, idyll. XVIII. & quales ipse indicat Salomo, Cantic. VI. 9. ראוה בנות ויאשרוה מלכות ופילגשים ויהללוה *Viderunt eam* filiae *beatamque praedicarunt*; neque hae solum, verum & *reginae vxoresque secundariae*, simulac conspexerunt, *laudibus celebrarunt illam*. Hinc est, cur Iudaei nuptialem domum בית הלולא atque thalassiones הלולים frequentissime adpellent; hinc virgines nunquam viris expetitae,

titae, aut non ductae, nullo festiuo cantu, qualis nuptiarum inprimis die percipiebatur, donatae dicantur, Psal. LXXVIII. 63. Verum de his quum viri docti differant, ineptus forem, si plura congerere vellem. Dedimus qualemcunque implexi loci expositionem, fortasse ideo multis non placentem, quia nondum satis aperta. Certiora igitur & magis clara ab illis exspectabimus.

LVCAE VIII. 14.

Καὶ ὑπὸ μεριμνῶν, καὶ πλούτου, καὶ ἡδονῶν τοῦ βίου πορευόμενοι συμπνίγονται.

Sed a sollicitudinibus & diuitiis voluptatibusque vitae euntes suffocantur.

VAriae prostant participii πορευόμενοι in hoc textu expositiones, quibusdam propriũ *eundi* significatum retinentibus, aliis per *impellere* conuertentibus, multis traiectionem vocabulorum admittentibus, reliquis aliud quid excogitantibus. Est & nobis, nec incongrua, vt opinamur, interpretandi ratio. Solent Ebraei verbum הלך alteri verbo iungere, ad imminutiones rerum accretionesque per temporum momenta denotandas. Nam de aquis diluuii dicitur Genes. VIII. 3. *exsiccaban-*

cabantur aquae de superficie terrae הלוך ושוב *eundo & redeundo*, hoc est, indesinenter, sed paullatim, recedendo. Et ℣. 5. 7. item Cap. XII. 9. XXVI. 13. 1. Sam. XIV. 19. XVII. 12. Ion. I. 11. 13. atque alibi saepius. Vnicum adhuc considerabimus locum, 2. Samuel. III. 1. ודוד הלך וחזק ובית שאול הלכים ודלים *Dauid vero*, vel Dauidica domus, *ambulans inualescebat*, *at domus Saulis ambulans imminuebatur*, seu, vti illa felici gaudebat accessione, eademque perpetua, ita e contraria parte haec diminutione continua notabilis erat. LXX. Interpretes eandem locutionem Ebraicam suae versioni, vt solent, intulerunt: Reddunt enim: καὶ ὁ οἶκος Δαυὶδ ἐπορεύετο καὶ ἐκραταιοῦτο, καὶ ὁ οἶκος Σαὺλ ἐπορεύετο καὶ ἠσθένει. Idem fecerunt ad 1. Samuel. XIV. 19. καὶ ὁ ἦχος ἐν τῇ παρεμβολῇ τῶν ἀλλοφύλων ἐπορεύετο πορευόμενος καὶ ἐπλήθυνε. Habes igitur insignem heic Ebraismum, adeo luculentum, vt ipse *Erasm. Schmidius* ad Actor. XI. 31. talem adgnoscere coactus fuerit. Sensus est: miseros homines diuitiis & voluptatibus sensim atque pedetentim suffocari, sic vt ipsi vix animaduertant.

ECCLE-

ECCLESIASTAE X. 20.

כי עוף השמים יוליך את הקול ובעל הכנפים יגיד דבר׃

Quandoquidem auis coelorum deferet vocem illam, & ales indicabit verbum istud.

QVae nunc se offert dicendi ratio: *auis aliquid nuntiabit vel loquetur*, prouerbialis est, nihil tam occulte intra parietes & velamenta patrari posse innuens, quod in apricum non producatur. Atque conuenit illud apud Habbak. II. 11. *lapis e pariete clamabit*, & apud Lucam XIX. 40. οἱ λίθοι κεκράξονται. *Xenophon* de Republ. Lacedaem. p. 679. ἐκείνων γ' ἂν ἧττον μὲν ἂν φωνὴν ἀκούσαις, ἢ τῶν λιθίνων. *Eorum* (Lacedaemoniorum) *vocem minus audias, quam si essent lapidei.* Qua figura vsus est & *Ouidius* Metamorph. Lib. II. canens:

Tutus eas: lapis iste prius tua furta loquetur.

Et *Iuuenalis* Satyr. IX. 102.

O Corydon, Corydon, secretum diuitis vllum
Esse putas? serui vt taceant, iumenta loquentur,
Et canis, & postes, & marmora.

Forte

Forte tamen, quia *conclauia* paulo ante & *cubilia* memorantur, adlusum est ad aues, domi altas nutritasque, humanam vocem imitantes. Nam & Ebraeos artis huius, quae loqui docet volucres, non ignaros fuisse, ex *Cholin* fol. 139. b. probatum nunc dabo, prolixo equidem loco, sed multa notabilia nobis pandente. Dabimus latinam ejus versionem, olim à nobis paratam: *R. Chiia & R. Simeon* in diuersas de nominis columbarum, הרדסיאות dictarum, ratione abeunt; *siquidem vnus* הרדסיאות *alter autem* הרדסיאות pronunciandum esse *contendebat*. Enimuero, vtramque pronunciationem locum habere posse arbitror. *Ille enim qui Hardesioth eas adpellabat, ex nomine Herodis* quasi Herodianas, qui *vero Hadresioth vocabat, ex loci adpellatione* deriuationem *accersebat. Ait R. Cahanna, meo adhuc tempore conspiciebantur viuentes* eiusmodi *columbae, sedecim ordinibus tanto interuallo, quantum miliare conficit, collocatae*, quarum quaelibet edocta fuerat, transeunti illac regi *adclamare* קירי κύριε, κύριε. *Erat inter illas* vna aliqua visu orbata & stolida, *quae nunquam pronunciauerat*: κύριε, κύριε. *Quamobrem* reprehendit eam *alia, inquiens: heus coeca!* nos posthac imitans, regi *dicito*,

κύριε, κύριε. Obediit mitissimum animal, eadem omnino stulte repetens verba non tantum: *Dic* κύριε, κύριε, sed & de suo addens כירי hoc est χείριε, serue. Verum male cessit hoc, & in damnum columbae, dum Herodis famuli audito hocce conuitio *adducentes mactarunt eam. Ad quae R. Asai pronunciauit, se ex ipso R. Chanina audiuisse, verba haec esse*, praetereaque nihil; siue, integram hanc historiam nullius esse auctoritatis. Caue vero, sodes, *fidem huic* R. Asai dicto *tribuas*; reuera enim R. Chanina de semetipso testatur, quod nonnullas ex illarum columbarum posteris suis viderit oculis. (Durauerit itaque genus illarum tamdiu, quamdiu Diomedis equi, quorum genus ad Antonium usque Reipubl. C. III Virum propagatum est. Vid. *Gellius* III. 9.) Vnde consequitur, minime inficias iuisse illum, sed statuendum potius esse, *arte institutas edoctasque fuisse columbas, vt loqui vocemque* articulatam *edere potuerint*. Dum columbae דרסיות & quidem a loco sic adpellatae dicuntur, existimo designari περιστερὰς δρύινας vel δριμώδεις, siluestres antea, sed cicures redditas. Et confirmat hanc suspicionem cum *R. Nathanis* in *Aruch* auctoritas, scribentis, quod rex Herodes הביא יונים מן המדבר וגדל אותם בישוב *ex deser-*

deſertis locis adduci columbas, easdemque in regionibus hominum copia frequentatis nutriri curaverit; tum quod textus Talmudicus, modo recitatus, totus Graecis vocibus ſcateat. Mirum videri haud debet ab arboribus & ſiluis hanc denominationem conſecutas eſſe columbas; quum & populi, & regiones ab illis nomina trahant. Vid. *Suidas* & *Harpocration*, atque *Phauorinus*, voce Δρυμός. Praeclare *Heraclides Ponticus* περὶ πολιτειῶν. Σάμον τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐρήμην ἔσαν λέγεται κατέχειν πλῆθος θηρίων μεγάλην φωνὴν ἀφιέντων· ἐκάλεῖντο δὲ τὰ θηρία, Νηίδες, ἡ δὲ νῆσος, Παρθενία, ὕστερον δὲ Δρυῦσα. *Samos initio deſerta erat, quam notabilis beſtiarum multitudo, ſtupendam vocem emittentium, ac Neides dictarum, occupauit. Inſula ipſa Parthenia, poſtmodum Dryuſa vocabatur.* Ad כירי quod ſeruum interpretati ſumus, quod attinet, ſciendum, data opera illud adhibitum fuiſſe vocabulum, partim vt elegantiſſimae inſeruiret paronomaſiae, partim vt aegre fieret Herodi, ἀλλοφύλῳ, cui in Iudaeos nullum de iure competeret imperium. Quod ſchema Rabbinis valde frequens. In *Erubbin* fol. 53. b. mulier coram iudice comparens, eum ſic adlocuta eſt מרי כרי Eſt inſuper ambiguitas in hac ipſa voce, quae & *ſeruum* &

dominum notat. Prius comprobant Lexicographi; posterius secure negligunt. Atqui in *Midbar rabba* sect. 4. fol. 178. col. 3. narratur, Dauidem ante arcam Iehouae hilari gressu incedentem, complosione manuum aliisque indiciis animi prodidisse laetitiam, & haec potissimum saepius repetiisse כירי רם *Domine supreme!* Obseruauit ad hunc locum auctor τῶν *Mattenoth Cehunnah*, R. Isaschar Ber ben Naphthali, כירי aeque ac קירי in vsu esse, atque vtrumq; denotare אדון Dominum potentissimum. Aliquando & קריסי pro קירי occurrit, velut apud Chaldaeum in Iobi III. 19. Nunc a verbis ad rem. Aues vel χαῖρε, vel εὖ πράτ]ε, vel Ζεὺς ἵλεως, pronunciare doctas fuisse, *Philostratus* docet in vita Apollonii Lib. I. c. 7. p. 9. edit. nouissimae. A *Clemente Alexandr.* protrept. pag. 9. C. κόρακες ἀνθρώποις χρᾶν ὑπὸ ἀνθρώπων διδασκόμενοι, *corui, qui hominibus responsa dare ab hominibus docentur*, commemorantur. Psittacus Iulium Caesarem, vel iuxta alios, Octauum Augustum, verbis *aue Caesar* salutans innotuit omnibus, exstatque de eo in *Anthologia* quoddam epigramma. Annon Carthaginensis aues canere docuit: Θεός ἐστιν Ἄννων, auctore *Aeliano* Var. Hist. XIV. 30. Nostris profecto temporibus loquentes audire aues, mira-

miraculum amplius haud est. Et talem auem vel loqui doctam, vel, si malueris, garrulam quamcunque, hominibus ξύνοικον, facinus clandestinum facile prodentem, quidni intelligeremus? inprimis quum mortalium obseruare actiones crederentur aues. *Aristophanes* Ὄρνισι pag. 570. edit. Geneu.

Οὐδεὶς εἶδε τὸν θησαυρὸν τὸν ἐμὸν, πλὴν εἴτις ἆρ' ὄρνις.

Nemo nouit thesaurum meum, nisi forte aliqua auis. Atque exhoc fonte tota fluxit disciplina, ex oscinis cantu volatuque augurandi. Quam vulgi opinionem reapse prostrauit Mosollamus Iudaeus, (מְשֻׁלָּם Iesa. XLII. 19. 1. Paral. VIII. 17.) auem, vnde augurium capere volebat sacerdos, sagitta interficiens, factumque defendens: quod non potuerit futura praescire auis, εἰ γὰρ ἐδύνατο προγινώσκειν τὸ μέλλον, εἰς τὸν τόπον τοῦτον οὐκ ἂν ἦλθε, *ea enim si nouisset, minime veniisset ad locum hunc* sibi fatalem. Narrat *Iosephus* contra Apionem Lib. I. p. m. 1050.

EPIST. IACOBI II. 23.

Καὶ φίλος Θεοῦ ἐκλήθη.

Et amicus Dei vocatus fuit.

COnsiderandum est, quare ex omnibus vtriusque testamenti sanctis, solus Abra-

hamus titulo *Amici Dei* diserte ornetur, non hic tantum, sed & Iesaiae XLI. 8. 2. Paral. XX. 7. Faciemus hoc, vbi prius ipsum elogium adeo nobile & illustre lustrauerimus. Quae nobis cura vel ideo incumbit, quia praeter *Mericum Casaubonum* ad distichon de Epicteto, deinceps adferendum, nullum nouimus, qui solicite ea de re egerit; quanquam & ipse tribus quatuorue duntaxat veterum testimoniis expediuerit, quod sexcentis potuisset. Degustabimus potiora; neque enim plenam enodationem permittent limites nostri. Quemadmodum Ebraeorum, Persarum, Graecorum Romanorumque reges, virtutibus praecellentes viros, φίλους suos haud raro compellabant; sic integrae vitae & singularibus eminentes donis homines, Deorum φίλοι audiunt. Non hic obstat inferior conditio; pendent omnia ex bene factis. Nullos aut magis certos & fideles, aut praestantiores amicos homo numerat, quam Deos. *Plutarchus* coniugal. praecept. p. 140. C. ἰδίους δ' δεῖ κτᾶσθαι φίλους τὴν γυναῖκα, κοινοῖς δὲ χρῆσθαι τοῖς τοῦ ἀνδρός· οἱ δὲ θεοὶ, φίλοι πρῶτοι καὶ μέγιστοι. *Peculiares vxor non habeat amicos, sed cum viro eosdem. Dii vero omnium praecipui maximique existunt amici.* Ante omnia pios & sanctos, hoc elogio prosequi fas erat. *Antoninus Liberalis*

beralis fabul. V. init. de Aegypio: αὐτὸν ἐφίλησαν θεοὶ ὁσιότητος ἕνεκα καὶ ἄνθρωποι, ὅτι ἦν μεγαλόφρων καὶ δίκαιος. *Hunc Dii ob sanctitatē & homines, vt & ob magnanimitatem iustitiamque amarunt.* Quare τὸ ὅσιον & θεοφιλὲς inuicem iunxit *Iustinus Martyr* λόγῳ πρὸς Ἕλληνας statim a principio: οὐδὲ γὰρ ἐν αὐτοῖς εὗρον ὅσιον ἢ θεοφιλές. *Plutarchus* in Lycurgo p. 59. C. hunc Lacedaemoniorum legislatorem θεοφιλέστατον καὶ ὁσιότατον ἄνδρα nominat. De eodem Pythia sic statuit apud *Herodotum* I. 65.

Ἥκεις ὦ Λυκόεργε ἐμὸν ποτὶ πίονα νηόν,
Ζηνὶ φίλος, καὶ πᾶσιν ὀλύμπια δώματ' ἔχουσι·
Δίζω ἢ σε θεὸν μαντεύσομαι, ἠὲ κὴ ἄνδρα·
Ἀλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον θεὸν ἔλπομαι ὦ Λυκόεργε.

Laurent. Valla conuertebat:

Ad mea venisti praepinguia templa Lycurge,
Grate Ioui & cunctis qui tecta tuentur olympi.
Ambigo vaticiner sis vtrum virne Deusne:
Sed multo magis esse Deum te credo Lycurge.

Huc respexit *Plutarchus* l. c. pag. 42. B. verbis: θεοφιλῆ αὐτὸν ἡ Πυθία προσεῖπε, καὶ θεὸν μᾶλλον ἢ ἄνθρωπον. Piis martyras iunxit *Theodoretus* Therapeut. VIII. p. 119. τὰς ἐν εὐσεβείᾳ λάμ-

λάμψαντας, καὶ ὑπὲρ ταύτης τὴν σφαγὴν δεξαμένους --- θεοὺς φίλους καὶ ἕννους θεράποντας ὀνομάζομεν, *pietate fulgentes, necemque pro ea subeuntes, Dei amicos & promtos seruos nuncupamus.* Pertinent huc οἱ χρηστοὶ, per omnia probi. *Achilles Tatius* Lib. V. pag. 311. Menelaum dicit νεανίσκον πάνυ χρηστὸν, καὶ θεῶν ἄξιον, hoc est, Deorum amore dignum. Nec dubitamus huc referre Deum reuerentes. Dilucide *Clemens Alexandr.* Strom. Lib. VII. p. 701. B. ὁ θεοπρεπὴς, μόνος θεοφιλής. Item Sacerdotes; Eumolpidarum quippe, ac Cerycum familiae γένη ἱερὰ καὶ θεοφιλῆ, vocantur a *Suida* v. Εὐμολπίδαι. Habent inter Dei amicos locum sapientes prudentesque. Est in libro Sapientiae VII. 14. Ἀνεκλιπὴς γάρ θησαυρός ἐστιν (ἡ σοφία) ἀνθρώποις, οὗ οἱ χρησάμενοι πρὸς θεὸν ἐξείλαντο φιλίαν. Et paulo post commate 28. Οὐθὲν γὰρ ἀγαπᾷ ὁ θεὸς, εἰ μὴ τὸν σοφίᾳ συνοικοῦντα. Epimenides, quem legit Paulus, a *Plutarcho* in vita Solonis pag. 84. θεοφιλὴς καὶ σοφὸς περὶ τὰ θεῖα nuncupatur. *Clemens Alexandr.* Strom. I. p. 351. A. μόνον γὲν τὸν σοφὸν οἱ φιλόσοφοι βασιλέα, νομοθέτην, στρατηγὸν, δίκαιον, ὅσιον, θεοφιλῆ κηρύττουσιν. *Solum itaque sapientem virum & regem & legislatorem, & belli ducem, & iustum, & sanctum & Deo carum praedicant*

cant philosophi. Conspirat *Sophocles* Aiace flagell. ℣. 132.

— — — τὰς δὲ σώφρονας
θεοὶ φιλοῦσι — — —

Prodeant nunc iusti. De quibus *Plato* Πολιτειῶν Lib. I. 380. Καὶ θεοῖς ἄρα ἐχθρὸς ἔσαι ὁ ἄδικος· ὁ δὲ δίκαιος, φίλος. *Antoninus Liberalis* fab. XIV. ineunte: τέτες γενομένες πάντας ἀγαθὲς καὶ δικαίες ἐφίλησαν οἱ θεοί. Quin etiam fortes belli Duces hoc insigniebantur titulo; vnde Varamus, Persici exercitus imperator, epistolam ad Chosroen sic orditur: Βαραὰμ φίλος τοῖς θεοῖς· νικητὴς· ἐπιφανὴς· &c. vt videre est apud *Theophylactum Simocattam* IV. 7. p. 210. Dabatur vero tunc maxime, si triumphos de hoste egissent. Achillem, Vlyssem, Agamemnona *Homerus* Διὶ φίλες nuncupat. Iidem strenui pugnatores Ἀρήϊφιλοι, *dilecti a Marte*, subinde audiunt. Formosi, pulcro inprimis & procero corpore homines, eodem gaudebant titulo. Quare *Suidas* v. Ἀμμωνιανὸς Syrianum, cum quod τῷ ὄντι φιλόσοφος, tum corpore καλὸς καὶ μέγας fuerit, dicto elogio prosequitur: Aliter intelligere non debemus hos de Epicteto in *Anthologia* III. 33. versus:

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρὸς,
Καὶπενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Quos *Iac. Tollius* fortuitorum cap. 25. p. 220. hoc Latino extulit disticho:

Natus Epictetus claudo cum pectore seruus,
Iro pauperior Diis in amore fui.

Dabimus commentarium in hos versus antiqui scriptoris, *Auli* puta *Gellii* II. 18. *Epicteti etiam*, inquit, *de se scripti duo versus feruntur, ex quibus latenter intelligas, non omnes omnimodis Diis exosos esse, qui in hac vita cum aerumnarum varietate luctantur.* Hunc ipsum Epictetum, non Diis modo amicum arbitrati omnes sunt; verum & in Deorum, Herculis, Orphei, Aesculapii, societatem collocauit *Celsus* apud *Originem* Lib. VII. Porro, diuites Diis prae reliquis cari censebantur. *Eustathius* ad Iliad. B. p. m. 71. οἱ γὰρ πολλοὶ, θεοφιλεῖς τὰς πλουσίους ὀίονται. *Antoninus Liberalis* fab. XX. in limine, Cleinen describit, quod fuerit ἀνὴρ θεοφιλὴς καὶ πλούσιος. Augias, pecoribus supra quam dici potest diues, υἱὸς φίλος Ἡελίοιο, *dilectus Solis filius* appellatur *Theocrito* idyll. XXV. Nec opibus tantum, sed viribus etiam valentes, multisque imperantes populis, hoc digni vel maxime erant titulo. Quamobrem regibus tribue-

tribuebatur splendidum istud nomen. Etenim *Themistius* orat. in laudem Iouiani pag. 59. edit. Amberg. Imperatorem memoratum Θεοφιλέστατον αὐτοκράτορα nominat. *Eustathius* l. d. Διὰ γὰρ φίλοι, οἱ βασιλεῖς. Itaque quisquis vel vnico horum vel pluribus simul (idem valet de mox dicendis) instructus fuerat, *familiaris Dei* habebatur. *Demosthenes* ἐρωτικῷ λόγῳ pag. 161. B. ὅπερ γὰρ ἑνὸς ἑκάστου τῶν προειρημένων μεταχόντές τινες τῆς τῶν θεῶν ὁμιλίας ἠξιώθησαν. Locutus autem antea fuerat, de pulcritudine, iustitia, fortitudine. Adnectit e vestigio: ἦπερ τῷ γ' ἁπάντων κυρίᾳ καταστάντος ἐυκτὸν θνητῷ φύντι φίλον γενέσθαι; *nonne optandum illi, homo qui natus est, vt amicus euadat eius, qui horum omnium dominus existit?* Alexander, Helenae procus, multis apud *Dionem Chrysostomum* in Τροικῷ pag. 162. edit. Laurent. Rhodomanni, loquitur περὶ τῆς ἀρχῆς τῦ Πριάμυ, καὶ τῶν χρημάτων τῦ πλήθυς, καὶ τῆς ἄλλης δυνάμεως: καὶ ὅτι αὐτῦ γίγνοιτο ἡ βασιλεία, *de regno Priami, diuitiarum multitudine, ceteraque potentia; & quod ad se pertineret regnum.* Quibus sigillatim commemoratis, ostendere voluit, ὡς θεοφιλὴς εἴη. Quamquam vero ex solis externis bonis amicitia Deorum aestimata fuerit; prudentiores tamen haec non attendebant. Nam *Plutarchus* Παιδαγ. cap. 3. eum

εὐδαί-

εὐδαίμονα καὶ θεοφιλῆ nuncupat, cui optima φύσις, λόγος ϗ ἔθος contigerit. Atque tales Pythagoram, Socratem ac Platonem fuisse testificatur. Idem de audiendis Poetis cap. 42. nec robustum, nec formosum, nec diuitem, sed φρόνιμον καὶ δίκαιον Deo placere adseuerat, addens, μόνον εἶναι τῶν ἡμετέρων θεοφιλὲς ϗ θεῖον, ἀρετὴν, *vnum esse ex iis quae nobis suppetunt omnibus Deo carum atque diuinum, virtutem* scilicet. Quod & statuisse credo *Demosthenem*, maxima laude dignos viros, Deorum amicos vocitandos esse, scribentem. Atqui venustatem, diuitias, potentiam, aliaque huius generis, Philosophos reliquosque sobriae mentis homines neque desiderauisse admodum, neque laudauisse vnquam, constat. Verba Demosthenis sunt l. c. pag. 158. C. χρὴ τὸν μεγίστων ἐπαίνων ἄξιον, ὑπὸ μὲν τῶν θεῶν ἠγαπημένον φαίνεσθαι, παρὰ δὲ τοῖς ἀνθρώποις θαυμάζεσθαι. Liberati ex periculis, & praesens Deorum auxilium experti, pariter sic vocabantur. Theodosius, rebelles deuincens, celebratur a *Claudiano* de III. Consul. Honorii:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hyemes — —— ——

Achilles Tatius Lib. VI. p. 389. ἄνδρα -- ὃν ἕτω φιλοῦσι οἱ θεοὶ, ὡς αὐτὸν ϗ ἐκ μεσῶν τῶ θανάτω πυλῶν ἀναγαγεῖν, *virum quem tanto diligunt opere Dii,*

Dii, vt ex ipsis mortis portis vel faucibus *eduxerint*. Denique, arte quisque sua praestans meruit hunc titulum. Eruditi omnium ordinum, Medici, Philosophi, Poetae, Oratores, Musis dilecti dicuntur. *Theocritus* idyll. XI.

Γινώσκειν δ' οἶμαι τὺ καλῶς, ἰατρὸν ἐόντα,
Καὶ ταῖς ἐννέα δὴ πεφιλαμένον ἔξοχα μοίσαις.

Nosse autem arbitror te probe, Medicum existentem, nouemque iam impense amatum Musis. Quotquot enim salutem aegrotis ferebant, morborum impetus pellentes, θεοφιλεῖς dicebantur. *Suidas* ex Aeliano, v. Ἰαχήν. οὗτος ἐγένετο Αἰγύπτιος, ἀνὴρ θεοφιλὴς, καὶ ἐις πολλὰ λυσιτελής. ἦν δὲ ἐπὶ Σενύε βασιλέως Αἰγύπτίων, περιάπτων καὶ ἐπαοιδῶν ἀντίπαλα, καὶ ἐν ταῖς ὀδύναις καὶ νόσοις σοφιστὴς ἄκρος· ὃς λοιμῶν ἐπιδημίας ἔσβεσεν κ. τ. λ. *Iachen Aegyptius, Deo amicus & ad multa vtilis vir fuit. Vixit sub Senye, Aegyptiorum rege, amuletorum incantationumq; gnauiter peritus, tum in doloribus morbisque debellandis summus artifex. Is pestilentias grassantes extinxit*, &c. De Poetis nullum est dubium. *Theocritus* epigrammate in Archilochum.

Ἀρχίλοχον καὶ σᾶθι καὶ ἴσισδε τὸν πάλαι ποιητὰν
Τὸν τῶν ἰάμβων, οὗ τὸ μυρίον κλέος
Διῆλθε κ'ηπὶ νύκτα κ' πρὸς ἠῶ.

Ἦ ῥά

Ἦ ῥά μιν αἱ Μοῦσαι καὶ ὁ Δήλιος ἠγάπευν Ἀπόλλων,
Ὡς ἐμμελής τ' ἐγένετο καὶ πιδέξιος
Ἐπεά τε ποιεῖν, πρὸς λύραν τ' ἀείδειν.

Archilochum subsistens contemplare, veterem poetam Iambographum, cuius summa nominis celebritas & occidentem & orientem peruagata est. Profecto illum Musae Deliusque Apollo amauerunt; adeo exactus fuit atque dexter, cum carmina pangendo, tum ad lyram cantando. Apud eundem idyll. V. Comatas & Lacon, caprarius atque pastor, quis cantu alterum superare possit, certant; quorum ille Musarum amorem, hic Apollinis sese possidere gloriatur. Vnde sequitur, certum quendam Deum, alicuius hominis peculiarem singularemque esse amicum. Nempe fortis Marti, formosus Veneri, prudens & doctus Apollini dilectus credebatur, quia Deorum quisque in hominem contulisse ferebatur, quod habebat praestantissimum. Quo facit *Aelianus* Var. Hist. II. 13. Socratem sistens τοῖς τε ἄλλοις θεοῖς φίλον, καὶ δὴ καὶ μάλιστα τῷ Ἀπόλλωνι, ob prudentiae scilicet laudem, quae in eo summa erat. Vetus inscriptio apud *Gruterum* pag. DCLV. 2.

ΕΥΦΡΑΝΘΕΙΣ ΣΥΝΕΧΩΣ ΓΕΛΑΣΑΣ ΠΑΙΖΑΣ ΤΕ ΤΡΥΦΗΣΑΣ
ΚΑΙ ΨΥΧΗΝ ΙΑΡΩΣ ΠΑΝΤΩΝ ΤΕΡΨΑΣ ΕΝ ΑΟΙΔΑΙΣ

ΟΥΔΕ-

ΟΥΔΕΝΑ ΑΥΠΗΣΑΣ ΟΥ ΛΟΙΔΟΡΑ ΡΗΜΑΤΑ ΠΕΜΨΑΣ
ΑΛΛΑ ΦΙΛΟΣ ΜΟΥΣΩΝ ΒΡΟΜΙΟΥ ΠΑΦΙΗΣΤΕ ΒΙΩΣΑΣ
ΕΞ ΑΣΙΗΣ ΕΛΘΩΝ ΙΤΑΛΗ ΧΘΟΝΙ ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΜΑΙ
ΕΝ ΦΘΙΜΕΝΟΙΣ ΝΕΟΣ ΩΝ ΤΟΥΝΟΜΑ ΜΗΝΟΦΙΛΟΣ.

Quae ibidem fic redduntur:

Laetus ego in luſu vixi luxuque perenni,
Cunctorumque animos iucundo carmine mulſi.
Nulli triſtis eram, nulli conuicia dixi:
Sed Muſis carus Bromio Paphiaeque, profectus
Ex Aſia Auſoniae iaceo hac tellure ſepultus.
Et iuuenis perii, nomine Menophilus.

Baccho Venerique dilectus vocatur Menophilus, quia in honorem illorum ſaepius recitabat carmina, ope Muſarum. Quare illi potiſſimum Deorum pari in deliciis fuit, cui etiam litauit procul dubio ſtrenue, vt eſt genus illud hominum in quascunque libidines valde profuſum. Ab *Moſcho* idyll. III. Homerus & Bion παγαῖς πεφιλαμένοι, *fontibus*, ſiue Muſis, *dilecti* vocantur. De Rhetoribus teſtimonium praebet *Hierocles* ad

aurea

aurea carm. p. 41. edit. Paris. ΗΡΩΕΣ δὲ, ὡς ἐρωτές τινες ὄντες, καὶ εἴροντες, οἷον ἐρωτικοὶ καὶ διαλεκτικοὶ ἐρασαὶ τοῦ Θεοῦ. HEROES *autem tanquam amantes quidam & eloquio pollentes, siue, beneuoli & diserti Dei amatores.* Idem esto de artibus & opificiis ceteris iudicium. Contenti nunc erimus vnico testimonio. *Arrianus* κυνηγετικῷ cap. 1. artis venandi peritos θεοφίλεις καὶ ἐντίμους ἀνὰ τὴν ἑλλάδα, *Deo caros per totamque Graeciam celebres*, adpellat. Nec homines tantum, sed & bestiae quaedam Diis, non secus ac hominibus, amantur. Quo modo ab *Antonino Liberali* fab. XX. fine, auis πίφιγξ dicitur θεοῖς τε καὶ ἀνθρώποις προσφιλής. Immo & res vita carentes. Commune & peruagatum est, sal *Platonem* vocare ἅλας θεοφιλὲς, & *Plutarchum* θεοφιλέστατον. Homerus quoque θεῖον nominat, eo quod mortuorum cadauera a putredine immunia praestet, censente *Psello* διδασκαλίας παντοδαπῆς (a litteratissimo *Io. Alb. Fabricio* non ita pridem ingenti litterarum elegantiorum commodo editae, quintoque Biblioth. Graecae libro insertae) cap. 144. Postremo, quicquid placet, Diis carum nuncupatur. *Horatius* Carm. Lib. II. ode XVII.

Nec

Nec DIs amicum est, nec mihi, te prius
Obire Mecaenas.

Et Lib. IV. ode VI.

—— —— — Ego DIs amicum,
Seculo festas referente luces,
Reddidi carmen.

Haec sunt, quae nobis, per summa euntibus capita, de phrasi φίλος Θεῦ, in quantum illustrare ea locũ praesentẽ valet, monere visum; quae si ad Abrahamum adplicauerimus mirum inueniemus vtrobique consensum. Nam & *sanctissimus* & tam magnae fidei Vir fuit, vt vel hac potissimum ex caussa in supremi Numinis amicitiam penetrauisse illum, non obscure innuat Apostolus. *Sapientiam*, *eruditionem*, & *multarum artium praestantem peritiam* arguunt, quae infra ad Io. I. 18. adducturi sumus; neque opus cumulare plura, quandoquidem Philosophiae Abrahami specimina a multis eruta propositaque, vbiuis prostant. *Fortitudinem* declarant, quae Genes. XIV. 13. seqq. exstant; *diuitias* testantur, quae Cap. XIII. 2. legimus; *Principatum* ostendit titulus נשיא Cap. XXIII. 6. Cui non *felicitas*, quam per vitam habuit integram, cui non *iustitia*, qua eminuit, & quam ex Gen. XIII. 9. cum primis discimus, cui non ceterae eius magno numero virtutes cogni-

tae? Quomodocunque ergo Patrem fidelium contemplati fuerimus, dignus ex omni parte adparet, qui φίλος Θεῦ nominetur. Atqui fit, vt is honor illi obtigerit soli? Enimuero, etsi totidem syllabis alteri praeterquam Patriarchae nostro, idem elogium tribui, obuium haud sit; tamen existimare fas est, vniuersae genti Iudaicae, tam impense a Deo dilectae, vt sedem in ea domiciliumque figeret, illum ipsum titulum, per Abrahamum, imponi. Prout enim *Dio Chrysost.* l. c. p. 182. Troianorum vrbem θεοφιλῆ πόλιν, vti *Homerus* Odyss. z. Phaeacos omnes φίλους ἀθανάτοισιν: sic *Philo* pariter *Iudaeus* περὶ ἀποικίας pag. 397. D. vniuersos Abrahami posteros θεοφιλὲς γένος vocat. Certum est, non Abrahamum duntaxat, sed quotquot eius in fide vestigia presserint, eodem titulo condecorandos. Ipse primus hunc meruit, & veluti caput ad posteritatem, sibi non dissimilem, transmisit. Nefas vero, membris denegare, quod capiti tribuitur. Solus nominatur Abrahamus, vniuersa intelligitur natio. Quamobrem & alios ex eodem populo *Dei amicos* dici obseruamus. Mosen *dilectum Deo* fuisse, Syrus adfirmat interpres, sic reddens Actor. VII. 20. quod est in Graeco ἀστεῖος τῷ θεῷ. *Trebellius* item *Pollio* in Claudio pag. 351. *Dei familiarem*

rem

rem profitetur esse Mosen. *Chrysostomus* in epist. ad Ebr. cap. XI. Homil. XXVII. p. 918. E. de miraculo ab Iosua patrato, dum stare Solem iussit, ita fatur: ὁ δὲ τοῦ θεοῦ φίλος τοῖς τοῦ φίλου κτίσμασιν ἐπέτατλε, μᾶλλον δὲ τὸν φίλον παρεκάλει. *Dei autem amicus* (Iosuas,) *creaturis amici* (Dei) *imperabat, immo vero amicum rogabat.* Omnes veteris Testamenti sacerdotes amici erant Iehouae, nominati eius קרובים Leuit. X. 3. *familiaris accessionis amici.* Totum Iudaeorum populum *carum* extitisse Deo, ex benigna illa summi numinis praesentia, concessione regionis optimae, victoriis quamplurimis, perpetua felicitate, tot innumeris praeterea indiciis liquido constat, quibus omnibus simulac priuabatur, *inuisa Diis gens* audiebat gentibus, prout deinceps dicturi sumus. Quid multis? Omnes omnino φίλοι θεοῦ nuncupari possint, οἵτινες εὐαρεστοῦσιν ἐν τῷ βίῳ τῷ θεῷ, vt cum anonymo de Concil. Oecum. scriptore, Tomo I. Variorum sacrorum Steph. le Moyne p. 112. loquamur, vel, οἷς ξύνεσι εἰσαεὶ θεὸς, vt verba *Sophoclis* Oedip. Tyr. ℣. 293. faciamus nostra.

IOBI XL. 15.

הנה נא בהמות אשר עשיתי עמך חציר
כבקר יאכל׃

Ecce quaeso Behemoth, quem feci tecum, foenum bouis instar comedit.

IN Behemotho plurimi *elephantum*, pauciores *hippopotamum*, pauciſſimi *diuerſum* adhuc ab his duobus *animal* vident, cuius tamen nomen ediſſerere nequeunt. Animus non eſt: nec inſtitutum fert noſtrum, has examinare ſententias: id tamen minime diffitemur, quam ſecundo loco enarrauimus opinionem, magni ſemper nos feciſſe, non tam quod ab illuſtribus excogitata viris adprobataque fuerit, quam quod magni ponderis inſtructa ſit argumentis, reliquis, niſi fallimur, expoſitionibus, palmam facile extorquentibus. Ad quam roborandam inſuper, obſeruatu digniſſimum ex *Georgii Phranzae*, protoueſtiarii, Chronic. Lib. III. 1. p. 152. producere conuenit locum, ne illis quidem animaduerſum, qui pro hippopotamo pugnauerunt acriter. Narrat ibi ſenex quidam, nomine Ephrem, ſe puerum adhuc a barbaris captum, in Indiamque delatum fuiſſe. Hic Nilum

Nilum oriri, qui aestate media Aegyptum inundet; eundem transire *& alium fluuium*, (sic vertit *Iac. Pontanus*, textum nobis Graecum inuidens) *vt inde ad macrobios labatur, valde periculosum, propter animal quoddam amphibium immensae molis, in eo flumine habitans, & ipsorum lingua adpellatum* (desideramus heic illud nomen) *quod apud nos est* ὀδοντύραννος (lege ὀδοντοτύραννος) *quasi* denti saeuientem *dicas, quod & elephantum, quantus est, deglutire possit.* Vltima ὑπερβολικῶς adduntur, ad tyrannicam dentium vim declarandam. Habes breuem voraciſſimi animalis descriptionem, quod iure ἀδδηφαγώτατον nominat *Achilles Tatius* Lib. IV. p. 223. eo quod ποιεῖται τροφὴν ὅλην λήϊον, *integrum campum segete consitum absumit.* Hoc est quod Iobus dixit: *gramen vt bos comedit.* Quare sat conuenienti nomine ὀδοντοτύραννος adpellatur; vere enim hanc beſtiam, vt ab Ephremo pingitur, hippopotamum esse, multa suadent. Vtrumque ἀμφίβιον est, vtrumque immensae molis, vtrumque ad Nilum versatur. Saeuitia illa dentium maxime notanda, quae & nomen ei fecit; illa vero ad elephantem nullo modo pertinet, quem proboscide stragem non multum dissimilem edere nouimus. Cetera linquimus aliis.

EPIST. I. PETRI V. 5.

ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται.

Deus superbis aduersatur.

QVamuis supra p. 47. seq. de ἐχθροῖς τῷ θεῷ nonnulla ex occasione dixerimus: iubet tamen Petrini oraculi dignitas, & mutuus amicorum inimicorumque respectus, vt de his etiam, prioribus paulo ante consideratis, pauca dicamus. Generatim omnes mali, quocunque demum animi corporisue vitio deformes, Deorum inimici. *Sophocles* Aiace flagell. v. 132.

— — — τὺς δὲ σώφρονας
Θεοὶ φιλοῦσι, καὶ συγῶσι τὺς κακύς.

Speciatim, qui de Diis inique sentiunt, quales erant olim Xenophanes, Hippo, Epicurus, Diagoras, de quibus pag. 47. ex *Suida*. Idem de Diagora Melio comprobat *Aelianus* Var. Histor. II. 23. vocando eum θεοῖς ἐχθρὸν, addendoque: καὶ ἄμοι ἥδιον, ἐπὶ πλεῖσον μεμνῆσθαι αὐτοῦ, *nec iucundum mihi est, amplius quid de ipso memorare*, homine Diis aeque ac hominibus inuiso. Qui debitis pri-

priuant honoribus sacerdotes, Dei ministros & familiares. Imperator *Iulianus* epist. LXII. pag. 451. B. postquam Apollinis Didymaei oraculum adduxisset, ita infit: ὁ μὲν ἓν Θεὸς, ὃ τὰς τύπτοντας, ἀδὲ ὑβρίζοντας, ἀλλὰ τὰς ἀποστερῦντας τῶν τιμῶν, εἶναι φησὶ τοῖς θεοῖς ἐχθρούς. *Hic quidem Deus, non eos qui aut verberant aut contumeliis adficiunt* sacerdotes, *sed qui conuenientes illis non exsoluunt honores, Deorum pronunciat inimicos.* Iuuabit conferre illud Pauli dictantis, 1. Thess. II. 15. eos qui Christum interfecerunt, prophetas persequuntur, τῷ θεῷ μὴ ἀρέσκειν, atque esse πᾶσιν ἀνθρώποις ἐναντίους, id est, vt peruagatissima exprimam formula, θεοῖς τε καὶ ἀνθρώποις ἐχθρούς. Qui nefanda patrabant crimina. Ita Polyphontem, cum vrso corpus miscentem, ἐκτόπως ἐμίσησεν ἡ Ἄρτεμις, *vehementissimo prosequebatur odio Diana*, autore *Anton. Liberali* fab. XXI. p. m. 110. Eos, qui muliebria patiuntur, θεομισεῖς καὶ ἀκαθάρτους nominat Cyrillus ap. *Suidam* v. Σπάδων pag. 359. Item iniusti, quomodo Philoctetes Vlyssen, Herculis non modo arcu se priuantem, verum etiam indigne tractantem, θεοῖς ἔχθιστον vocat apud *Sophoclem* Philoct. v. 1027. Qualis homo θεομισὴς audit *Platoni* de Republ. Lib. X.

pag. 469. Pari ratione Oedipus seipsum appellat ἐχθροδαίμονα ἄνδρα, apud *Sophocl.* Oed. Tyr. ℣. 826. & θεοῖς ἔχθιστον, ibid. ℣. 1521. Aduersarii quoque Deorum existimabantur, qui vel promissis sanctissimis alios stare non sinebant, vt Melite, quae Clitophontem ad se subigendam, fidemque Leucippae datam, frangendam, vi atque minis permouerat, eoque θεοῖς ἐχθρὰ dicitur *Achilli Tatio* Lib. VII. p. 425. vel iusiurandum ipsi non seruabant. Agesilaus apud *Polyaenum* II. 1. 8. ait: χάριν οἶδα Τισσαφέρνῃ τῆς ἐπιορκίας· ἑαυτῷ μὲν γὰρ πολεμίους τοὺς θεοὺς ἐποίησεν, ἡμῖν δὲ συμμάχους. *Gratiam habeo Tissapherni ob periurium; sibi enim ipsi Deos effecit hostes, nobis vero auxiliares.* Eadem narrant iisdem fere verbis *Xenophon* orat. de Agesilao p. m. 653. *Aelianus.* Var. Hist. XIV. 2. Ad eandem classem spectant superbi, de quibus nunc Petrus. Et plane ad mentem Petri, sic vt ex eo desumsisse videatur, *Achilles Tatius* Lib. V. p. 305. μισεῖ ὁ θεὸς τοὺς ἀλαζόνας, nisi quod efficacius ab Apostolo dictum sit ἀντιτάσσεσθαι, quod hostibus ex aduerso pugnam ordinantibus proprium est. Succedunt otiosi, Murciae aut prorsus consecrati;

Sallu-

Sallustius bello Catilin. cap. 52. *Non votis, neque supplicibus muliebribus auxilia Deorum parantur; vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt; ubi socordiae te te atque ignauiae tradideris, nequicquam Deos implores, irati infestique sunt.* In eadem opinione est *Hesiodus* Ἔργ. ϒ. 301.

Τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἀνέρες, ὅς κεν ἀεργὸς
ζώῃ. — — — — —

Illum & Dii oderunt & homines, quisquis otiosam duxerit vitam: aut certe officio suo, pro eo ac par est, non defungentes. Hos petiit *Scribonius Largus* epist. ad C. Iulium Callistum. *Inuidentiae crimen*, inquit, *quum omnibus inuisum esse debeat, tum praecipue Medicis; in quibus nisi plenus misericordiae & humanitatis sit animus, secundum ipsius professionis voluntatem, omnibus Diis & hominibus exosi esse debent.* Sunt & Diis ingrati, qui ignauã turpemque Philosophiam, qualis est Epicurea, excogitant, profitentur, introducunt, sectantur. *Suidas* voce Ἐπίκηρος de Lyctiis refert, quod ab iis νόμος ἐγράφη τῇ ἐπιχωρίῳ φωνῇ, τὰς τὴν θήλειαν σοφίαν καὶ ἀγενῆ καὶ αἰσχρὰν ἐπινοήσαντας, καὶ μέντοι καὶ τοῖς θεοῖς πολεμίους, ἐκκεκηρύχθαι τῆς Λύκτου, *lex fuerit scripta populari sermone, vt muliebris,*

liebris, ignobilis, turpisque Philosophiae inuentores, Deorumque aduersarii, praeconis voce exire Lycio iuberentur. His non meliores visi **pauperes**, Diis itidem odiosi. Epictetus vero, vltra fecem populi sapiens, quamuis cum paupertate luctandum sibi sit, amicum nihilo secius Dei se professus est. Nec aliter Dauid hymno XL. 18. *Sum quidem pauper & egens, sed Dominus cogitat de me.* Conf. Hymn. LXXXVI. 1. 2. Iesaiae XLI. 17. Videtur nobis ratio, ob quam egeni Diis inuisi crederentur, inde petenda, quod ex gentilium opinione, quam in *Hippocrate* περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων, legere est, pauperes minus religiosi quam diuites, nec tam bonae notae homines, quam opulenti, haberentur. Sacrificia & pinguia & saepius repetita, cum donariis, acceptiores vtique reddebant eos, qui amplissimae fortunae erant; inuisos autem, quibus egestas imperabat. Aliter tamen prudentiores, qui & pauperes Diis gratos statuebant. De Epicteto supra. Cum quo facit *Menander*: Αἰὲι νομίζου θ' οἱ πένητες τῶν θεῶν. Sunt praeterea Diis inuisi, qui **morbis** aut extraordinariis, aut grauioribus, aut maxime pertinacibus, nulli Medicorum industriae cedentibus, **adfliguntur**. Ita Pherecydes Syrius

rius phthiriasi punitus est ab Apolline Delio, quia hic iratus illi fuerat, narrante *Aeliano* Var. Hist. IV. 28. Etiam Epicurus, teste *Suida*, v. cit. Deum nihili faciens, a iuuentute caecutiebat, nec solis splendorem ferre quibat, τῷ φαιδροτάτῳ τε καὶ ἐναργεστάτῳ τῶν θεῶν ἀπεχθανόμενος, *serenissimo omnium clarissimoque Deorum inimicus.* Iudaei quoque caecitatem peccatorum poenam putabant, Ioannis IX. 2. delictorum vero mancipia Deus odit. Facilis nunc est dehis coniectura, qui aduersa fortuna sic agitantur, vt penitus pereant. Exemplum praebent Ebraei, qui diruto templo, destructa vrbium sanctissima, populo peregrinorum voluntati subiecto, inuisi Diis nuncupantur. Nam & *Cicero* orat. pro L. Flacco sic de illis: *Quam cara Diis immortalibus gens esset, docuit, quod est victa, quod elocata, quod serua*, & *Tacitus* Histor. V. 3. eosdem *genus hominum inuisum Deis*, ea de caussa, quia *alias in terras auecti* fuerint, nominat, consentiente *Caesario* Dialog. IV. respons. 194. Apud *Demosth.* de fals. legat. p. 225. C. aiunt nonnulli, ἐκ ἀνεκτὸν εἶναι, τῶν θεοῖς ἐχθρῶν τε καὶ ἀλιτηρίων Ὀλυνθίων αἰχμάλωτον ἔσαν, τρυφᾶν, *haud licere, vt captiua ex Diis inuisis & nefariis Olynthiis, delicias face-*

faceret. Vti vero certos Deos aliis propensiores erga homines quosdam esse supra diximus; ita & magis quidam infesti mortalibus feruntur. Sic Venus aduersa admodum humano generi praedicatur, atque a *Theocrito* idyll. I. θνατοῖσιν ἀπεχθὴς dicitur; sic Deum illum, quisquis fuerit, qui mulieres condidit, Euripides apud *Stobaeum* serm. LXXI. δημιοεργὸν κακῶν μέγιστον, καὶ βροτοῖσι δυσμένη, *opificem malorum maximum*, *hominumque hostem* compellat. Nempe enim, Venerem ac Amorem, nostri ordinis hominibus repugnare, prudenter indicant. Musis quippe certamen equidem cum Amore fuit, sed vulnerari haud poterant, quia σεμναί εἰσι, καὶ ἀεἰτι φροντίζουσι, vt *Lucianus* Dialogo Ἀφροδίτης καὶ Ἔρωτος egregie differit. Verum enimuero non soli homines, sed & animalia quaedam Diis non secus atque mortalibus inuisa sunt. Scilicet, probe id conuenit gentilium Diuis, iisdem cum hominibus obnoxiis virtutibus atque vitiis, iisdemque gaudentibus animorum propensionibus. Itaque serpentes etiam Deos ipsos odio prosequi, *Theocriti* testimonio constat idyll. XXIV. cui itidem idyll. XXI. Ποσειδάωνι πεφιλαμένος ἰχθύς, *Neptuno dilectus piscis*, elegans, auieus, commemoratur. Atque hinc colligas, quid sibi velit phrasis, θεοῖς ἐχθρὸς, simile-

similesque. Eiusmodi enim homo quibusuis deditus est sceleribus, Deo per omnia contrarius, cuius voluntati modis omnibus resistit. Hi sunt illi, qui dum repugnant, dolore adficiunt Deum, qui יהפך לאויב conuertitur in inimicum, Iesaiae LXIII. 10. pugnatque contra illos. Sic perpetua Deum inter hominesque prauos inimicitia. Ita Deus πολέμιος ἀνθρώπων, ac vicissim homines θεῶν πολέμιοι, quomodo Typhoeum ἑκατονταχάρηνον adpellat *Pindarus* Pyth. ode I. Atque his, iustissimae poenae loco, morbi, paupertas, carceres, exsilium, mors, & quotquot malorum exstant genera, immittuntur. Paucis: quicquid ad voluntatem diuinam non componitur, Deo inuisum. Ad extremum, caue fidem temere adhibeas *Erasmo* Chiliade I. centur. I. adag. LXXIV. scribenti, *apud Poetas pene solenne, Deum atque hominum fidem, Diis atque hominibus inuisus.* Modo enim & Oratoribus & *Historicis non minus quam Poetis vsitatam esse hanc formulam, percepimus.*

GENES. XIX. 26.

ותהי נציב מלח׃

Fuitque statua salis.

OMnibus ex interpretationibus, ad hunc locum adductis, nulla, fateor, magis arrisit,

risit, quam *Aharonis Caraitae*, a Simonio, seu mauis, *Sainiorio* Biblioth. Crit. Tom. IV. 43. prolata. Censet Iudaeus, ignis fumo sulphurisque suffocatam Lothi vxorem, planeque immobilem mansisse, sic vt *fuerit* tanquam *statua salis*; qualis expositio aliis quoque in mentem venit, monente *Heinsio* in exercitt. ad N. T. Neque vero temere deserendam illam opinor, quamuis ex Ebraeis omnibus, (quantum nobis constat) solus hanc tueatur Caraita, quem Simonius R. Aharonem nude adpellat, idem tamen sine omni dubio est cum R. Aharone ben Ioseph, e cuius inedito commentario excerpta nonnulla cum orbe erudito communicauit *Io. Ludouicus Frey*, vtpote qui descripsit illa ex codice quodam Bibliothecae Patrum Oratorii, vbi comparere istud volumen, Simonius pag. 420. professus est. Considerandum nihilominus propono, annon vertere liceret: *& fuit monumentum excidii.* De voce נציב per *monumentum* reddita, nemo, opinor, mecum litigabit; at מלח pro *destructione* vsurpari, inauditum ante hanc diem dicent plerique. Enimuero, in Chaldaeorum lingua & verbum מלח *vastauit*, *absumsit*, *perdidit*, & nomen inde deductum *vastationem* infert. Rabbini sane, Christianorumque non pauci

nec

nec indocti illud Esrae IV. 14. רי מלח היכלא מלחנא nil aliud significare contendunt, quam hoc: *quia vastationem templi vastauimus.* Aethiopibus quoque idem verbum *euellere, exstirpare*, designat, quod & Arabum sermonem admittere didicimus. Quid multis? quum in ipsa adeo Ebraea lingua talem inueniamus significatum, Ies. LI. 6. שמים כעשן נמלחו *coeli tanquam fumus absumentur.* Hinc veteramenta, annis ac diuturno vsu fere consumta מלחים adpellari videas Ier. XXXVIII. 11. 12. Hinc sal totalis euersionis symbolum, vt ex facto Abimelechi Iudic. IX. 45. docemur. Hinc locus aeternae & cum rerum aeternitate duraturae vastationis, his depingitur a Zephania II. 9. verbis: *Moab sicut Sodoma erit, & Ammonitae tanquam Gomorrha, locus derelictus vrticae, & fodinae salis,* ושממה ער עולם *atque destructionis in perpetuum.* Vnde concludimus, vocabulum מלח non praeter rem exitium heic inferre, ad indicandum, parum morigeram Lothi coniugem inobedientia meruisse, vt flammis vltricibus absumta, ad omnem posteritatis memoriam, veluti monumentum feralis iudicii excidiique, duraret. Plane vt Israelitae Mosi non obtemperantes, quorum bona pars desertis in locis delebatur, ὑπόδειγμα ἀπει-

ἀπειθείας audiunt auctori epistolae ad Ebr. IV. 11. Quamuis vero exigua Ebraicae linguae λείψανα, vnico volumine adseruata, alium insuper locum, vbi מלח pro excidio adhibeatur, producere non permittant; hunc tamen olim obtinuisse significatum, vel ex eo liquet, quod eius in ceteris adhuc linguis superstint vestigia. Quin & antiquissimam vocis מלח significationem, non aliam quam *consumtionis* fuisse, parum abest quin adfirmem, ea cumprimis ratione inductus, quod Chaldaeis ista vocis notatio perpetuo vsitata, horumque lingua ad nomina monumentis publicis danda adhibita fuerit, vti ex Genes. XXXI. 47. liquido patet. Accedit, sensum isthunc quamplurimis sacri Codicis oraculis congruere, vt modo ostensum; quod facile indicium praebere poterit, exstitisse olim laxam huius voculae acceptionem, ex qua tam diuersae significationes emanauerint, quarum altera fere tota vetustate oblitterata fuerit, altera remanserit sola. Si cui minus haec credibilia videbuntur, nolumus ei nostram obtrudere sententiam, qua si meliorem excogitauerit, manibus in eam ire pedibusque non dubitabimus: modo caueat fidem facere fragmentis, ex statua, quam vocant, salis, decussis, quorum aliquot nostris

noſtris ſubinde oculis ſubiecta fuere. Maius quid eſt φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν.

IOANNIS I. 18.

Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακεν πώποτε· ὁ μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο.

Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ille enarrauit.

GEmina his *Orpheus* habet, de Deo canens:

Οὐ γὰρ κέν τις ἴδοι θνητῶν μερόπων κραίνοντα,
Εἰ μὴ μονογενὴς τις ἀπορρὼξ φύλα ἄνωθεν
Χαλδαίων. —— —— —— ——

Non enim mortalium quisquam videre poſſit eum, qui hominibus imperat, praeterquam vnigenitus aliquis, emanatio vel propago *nationis antiquae Chaldaeorum.* Non ouum ſimilius ouo. Cur vero Poetarum antiquiſſimus, illum μονογενῆ ex Chaldaea oriundum ſcribat, dignum eſt de quo cogitent eruditiores. Exiſtimauerim, id velle Orpheum, ex poſteris Abrahami, quem habitauiſſe olim in Chaldaea ſacrae litterae teſtantur, & a quo nomen ſuum Ebraei adepti ſunt, originem trahere debere naſcendum ex illa vetuſtiſſi-

ma gente, cum cujus conditore foedus iniuisset ipsum propitium Numen. Abrahamum indicare Poetam nostrum, licebit colligere ex iis quæ mox sequuntur:

— —— — ἴδρις γὰρ ἔην ἄστροιο πορείης,
Καὶ σφαίρης κίνημ' ἀμφὶ χθόνα ὡς περιτέλλει,
Κυκλοτερὲς γ' ἐν ἴσῳ, κατὰ δὲ σφέτερον κνώδακα.

Gnarus quippe fuit astrorum cursus, & sphaerae motus, vt circa terram voluatur, circularem vndiquaque, suoque in centro permanentem. Atqui Patriarcham memoratum, Astronomiae prima veluti fundamenta, certiora profecto quam antehac, posuisse, artemque vagam adhuc, neque idoneis munitam obseruationibus, ad magnam gloriam perduxisse, peruulgatum est. Ex innumeris solum audiamus *Gregorium Nyssenum* in vita S. Gregorii Thaumaturgi p. m. 243. s. edit. Mogunt. 1604. Καθάπερ δὲ τὸν πατριάρχην Ἀβραὰμ ὁ λόγος κατέχει, τῆς Χαλδαϊκῆς φιλοσοφίας ἐν ἐπιστήμῃ γενόμενον, καὶ τὴν ἐναρμόνιον τε καὶ τεταγμένην τῶν ἄστρων κατανοήσαντα θέσιν καὶ κίνησιν, ὑποβάθρᾳ χρήσασθαι τῇ περὶ ταῦτα γνώσει, πρὸς τὴν τοῦ ὑπερκειμένου ἀγαθοῦ θεωρίαν, κ.τ.λ. *Prout vero fama fert, Patriarcham Abrahamum Chaldaicae philosophiae peritia gnauiter imbutum, postquam concinnum ordinatumque astrorum animaduertisset situm atque motum, harum rerum cognitione veluti* funda-

fundamento vsum esse ad supremi boni contemplationem, & reliqua.

II. SAMVEL. III. 8.

הראש כלב אנכי אשר ליהודה׃

Numquid caput canis ego, qui Iudae sum?

MAgnum est conuitium, canis vocari, quo nomine vix vllum aliud turpius habitum fuit; siquidem ipsis Iudaeis testibus in *Schemoth rabba* fol. 128. col. 3. canis inter quadrupeda impudentissimum est animal. Nam & sordidi & virulenti & Venerem illicitam effusissime amantes, ita adpellantur. De vltimo horum genere exstat locus in Deuteronomio Cap. XXIII. 19. Quem inprimis vocabuli כלב significatum in animo habuit Abner, cum istius sibi criminis propudiosi obscaenitas obiiceretur. Caninae etenim impudentiae proprium est ἐν μέσῳ ποιεῖν, τὰ τῆ Ἀφροδίτης. Sed maius quid, *caput canis*, quod heic solum inuenimus; alibi autem simpliciter *canis*, in vituperii vel contemtus signum ponitur, veluti 1. Samuel. XVII. 43. 2. Sam. IX. 8. XVI. 9. 2. Reg. VIII. 13. Conf. Iobi XXX. 1. Philipp. III, 2. Vnde suspicari licet,

ראש *caput canis*, extreme impudicos designare. Magistri, quando tempus Messiae aduentum proxime antecedens describere volunt, aiunt id calamitosum maxime fore, hominibus in summo vitiorum apice constitutis, חוצפא יסגא crescente ἀναιδυντίᾳ, irritante patrem filio, insurgente filia contra matrem, nuru contra socrum, ita vt futura sit פני הדור illius seculi facies, tanquam vultus כפני הכלב canis, vt est in *Sota* IX. 15. Et Helena seipsam κυνώπιδα vocat in Odyss. Δ. 145. qua de causa, non est ignotum. Abnerus itaque notanter adhibuit illud ראש acsi dixisset: tune lasciuorum ac impurissimorum principem me censes atque caput? Absit, de me sic cogites, אשר ליהודה qui de populo illo sancto sum, in quo ne nominare quidem conuenit tale facinus. Negauisse enim, cuius accusabatur, crimen, patet ex verbis ad finem commatis nostri collocatis. Haec quoad illustrationem textus, si verba prout posita sunt, considerauerimus. Sed, ne quid dissimulem, videre mihi videor σύγχυσιν vocabulorum, sic ordinandorum הכלב אנכי אשר ראש ליהודה *Numquid canis ego, qui caput sum Iudae?* Caput Iudae adpellat sese, vel, quia supremus belli dux fuit; vel, vt declaret, quantis sibi domum Saulis, omnemque Iudam beneficiis

deuin-

deuinxerit. Duo flagitant eiusmodi statuere transpositionem; vnum, quod nullus alius, praeter hunc, occurrat locus, vbi iunctim *caput canis* tanquam conuitium legitur, etsi crebrius legatur כלב *canis* nude; alterum, quod hac ratione illa tollatur obscuritas, quā alioquin voces ליהודה אשר pariunt. Frequentes sunt tales translocationes in vtroque Testamento. Expende Genes. XIII. 10. XVIII. 12. Deuter. XXXII. 5. Iesa. XXIX. 22. Cantic. I. 5. Matth. XII. 14. Luc. V. 17. Act. XIII. 27. XVI. 3. XXII. 3. Rom. V. 12. Si nec iste interpretandi modus sese probauerit, tutissimum pronuncio, vocem ראש ἀπὸ τῦ κοινῦ repetere, hoc pacto, *anne caput canis ego, qui* caput *sum Iudae?*

EPIST. AD ROMAN. VI. 13.

Ἀλλὰ παραστήσατε ἑαυτὲς τῷ θεῷ ὡς ἐκ νεκρῶν ζῶντας.

Verum sistite vos ipsos Deo, tanquam ex mortuis viuos.

HAec sermonis facies, *ex mortuis viuus*, quamuis aliena nonnihil videri possit, Romanis tamen, ad quos scripsit Paulus, non peregrina, vtpote quibus insigne in vsu erat

symbolum, iteratam hominis natiuitatem, & ex funere resurrectionem, exhibens. Etenim qui aut in pugna occubuisse, aut in peregrinatione diem obiisse falso nunciabantur, deinceps vero praeter spem omnium reduces facti fuerant, non per fores in domos suas admittebantur, sed per tectum demittebantur. Graecia illustriori ritu eosdem homines inferiis iam adfectos, in ciuium denuo numerum recipiebat, bene prius a mulieribus lotos, & infantili modo iterum enutritos, vt partu in lucem rursus editi videantur. De vtrisque, Romanis pariter & Graecis, id refert *Plutarchus* Quaest. Rom. 4. in originem quoque huius consuetudinis inquirens, narransque, Aristinum παραχεῖν ἑαυτὸν ὥσπερ ἐξ ἀρχῆς τικτόμενον ταῖς γυναιξὶν ἀπολοῦσαι καὶ σπαργανῶσαι, καὶ θηλὴν ἐπιχεῖν, ἕτω τε δρᾶν καὶ τὰς ἄλλας ἅπαντας, ὑστεροπότμους προσαγορευομένους, *praebuisse semetipsum mulieribus lauandum, fasciis inuoluendum, lactendumque, atque idem fecisse alios omnes,* ὑστεροπότμους *cognominatos*, nonnunquam etiam δευτεροπότμους, quia post suprema, quae occupauisse credebantur, fata, postliminio in vitam redierant. Hi ipsi ὑστερόποτμοι per gremium stolae laxae muliebris demissi, sic iterum in coetum viuentium cooptabantur. Nam iuxta *Phauorinum* voce

ce

ce Δευτερόποτμος, sic adpellabatur, ὁ δεύτερον διὰ γυναικείᾳ κόλπῳ διαδὺς, ὡς ἔθος ἦν παρὰ Ἀθηναίοις, ἐκ δευτέρᾳ γενναῶθαι. Confer & *Hesychium*. Hinc illustrabimus posthac Ioannis III. 3. 7. Vti ergo, qui pridem *defuncti* habebantur, *sistebant* se iterum *viuos*; sic qui peccatis antea *mortui*, *sistere* se debent Deo, nouam *viuentes* vitam.

DEVTERON. XX. 19.

כי האדם עץ השדה׃ ס

Homo enim ipse lignum agri est.

REcte & ex vero *Clemens Alexandrinus* Strom. I. p. 346. A. Mosen inter alia vocat νομοθετικὸν, τακτικὸν καὶ στρατηγικὸν, *legum ferendarum*, *instruendae aciei*, *ducendique exercitus peritissimum*. Immo *Artapanus* libro de Iudaeis, Aegyptios Mosi armorum quorundam instrumentorumque πολεμικῶν inuentionem debere scripsit, referente *Eusebio* Praepar. Euang. IX. 27. Leges bellicae a Mose ex ore Dei datae, blandae vtplurimum, mansuetae, benignae, nisi hostium pertinacia aliud iusserat. Discas id ex praesenti etiam interdicto, quo ne arbor frugifera, in campo vrbis obsidione cinctae constituta, securi deiiciatur, cauet, ad machinas inde bellicas

ſtruendas, hac addita ratione, *quia ipſe homo lignum agri eſt.* Quod vt rectius intelligamus, integrum comma ſic conuertendum ducimus: *Quando obſidebis ciuitatem multis diebus, oppugnando illam, vt capias eandem, ne perdito arborem eius, immittendo in eam ſecurim, ſi quidem ex ea comedere poteris, tunc enim nequaquam illam excindito (quia & ipſe homo lignum agri eſt) vt veniat ante te in obſidionem,* hoc eſt, vt machinas exinde edoles, quibus in ipſa obſidione vtaris. Suadet hic legislator clementiam, interdicens ne vel fructus proferre apta arbor proſterneretur; eſſe enim vbiuis exercendam miſericordiam, etiam erga res inanimatas. Et quidem, quantum ad arbores, non temere illas ſuccidendas a quoquam, ſed conſiderandum potius, ſi benigne cum alicuius adhuc frugis arboribus ageretur, huius placabilitatis fructus in ipſum redundaturos hominem: nam & hunc nil aliud eſſe, quam arborem agri, cuius vita aeque ex Numinis poteſtate pendeat, ac deiectio arboris ad lubitum hominis peragatur. Fragilitatem humanam coarguit phraſis, *lignum* vel *arbor agri*, vti eandem indicat illud Iſ. LI. 12. *filius hominis* tanquam *foenum reddetur.* Et Cap. XL. 6. *omnis caro gramen, & omnis*

omnis gratia eius vt flos agri. Adde ibid. ℣. 7. 8. Cap. XXXVII. 27. Psal. CIII. 15. Quemadmodum enim cum *germine* aut *flore agresti* saepe confertur homo, ita hoc loco cum arbore; cuius quidem comparationis, sed diuerso habitu respectu, iam supra pag. 79. ff. dedimus exempla, nunc vero addimus, in re non multum discrepante, alia, nempe Matth. III. 10. Luc. XIII. 7. seqq. Rom. XI. 17. ff. Sic vere homo, arbor. Hanc non adeo vehemens tempestas subuertit; illum vel leuissimus morbi afflatus deiicit, ne dicam, acerbiorem nonnihil ictum affligere vtrumque ac prosternere. Numquid huc referimus, quod obseruatum aliis, hominem scilicet arbori inuersae simillimum esse? Quam mutuam conuenientiam prae aliis monstrauit egregie, *Io. Baptista Porta* Physiognomonicae L. I. c. 2. Annuit *Iul. Caes. Scaliger* in librum, vt putant, Aristotelis II. de plantis p. 462. s. his verbis: *Homo arbori quam simillimus. Tum Minutius: Recte admodum. Hoc enim inuersam arborem dicebant veteres hominem.* Quocunque tandem modo textum exposuerimus, verum manebit hoc הָאָדָם עֵץ הַשָּׂדֶה (Errauit enim, quod obiter moneo, ne alii decipiantur, errauit, inquam, Vir eruditissimus, sic ad locum nostrum commentans: *Ex canoni-*

bus Grammaticorum deberet esse הָאָדָם *Sed seu haec sit anomalia punctationis, seu punctandum fuerit* ה *puncto Segol*, &c. Verum, receptae lectioni status controuersiam frustra mouet. Nam nec anomalia heic in punctando obseruatur vlla, nec punctatio aliter fieri vllo modo debet, quam est in Codicibus Ebraeis. Neque repugnat illa Grammaticorum canoni, quem integrum haud edidicisse, nec vel primum primi Geneseos capitis versum, vbi simile punctationis exemplum, animo voluisse Virum doctum animaduertimus. Quare nollem hunc errorem commissum a Viro tam insigni, & litteras quidem Ebraicas illustri in loco publice docente, quem tamen vel ideo condonabimus ipsi, quia in eodem He emphatico punctis vocalibus instruendo, contra Grammaticae regulas sat multis vicibus peccauisse recordamur I.C.W. *litteraturae Rabbinicae inter Christianos facile principem*, vt eum *Christoph. Cellarius*, ipse magni inter eruditos, & suo quidem merito, nominis vir, neque his sacris leuiter quondam initiatus, alicubi adpellat.) *Homo arbor agri*, flos agri, germen agri, ad dies, horas, momenta, ruinae obnoxius.

I. EPIST. AD CORINTH. V. 1.

Ὅλως ἀκούεται ἐν ὑμῖν πορνεία, καὶ τοιαύτη πορνεία, ἥτις οὐδὲ ἐν τοῖς ἔθνεσιν ὀνομάζεται, ὥστε γυναῖκά τινα τοῦ πατρὸς ἔχειν.

Omnino auditur esse *inter vos scortatio, & eiusmodi quidem scortatio, quae neque inter gentes nominatur, adeo vt quis vxorem patris habeat.*

HYperbolem in phrasi, ἥτις οὐδὲ ἐν τοῖς ἔθνεσιν ὀνομάζεται, lubentes agnoscimus, sed non *impudentem*, vt *Erasmus* parum reuerenter scripsit. Talis enim & in *Senecae* Hippolyto ℣. 164. obseruatur:

Compesce amoris impii flammas precor,
Nefasque, quod non ***vlla tellus barbara***
Commisit vnquam*, non vagus campis Geta,*
Nec inhospitalis Taurus, aut sparsus Scythes;
Expelle facinus mente castifica horridum,
Memorque matris, metue concubitus ***nouos.***

Et

Et in *Ciceronis* oratione pro A. Cluentio: *Nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus, funestis ominibus omnium. O mulieris scelus incredibile, & praeter hanc vnam in omni vita inauditum!* Et tamen non adeo inauditum fuit illud crimen, quod seuere hoc loco coercet Apostolus. Notae sunt *Sophoclis* ac *Senecae* tragoediae; illius Oedipus Tyrannus & Coloneus, huius itidem Oedipus & Thebais. Patrauit idem horrendum scelus Aegypius, sed inuitus, quo de *Antonin. Liberalis* fab. V. Concubuit Smyrna cum patre Theianto, inscio tamen, illamque facti mox poenituit atque poenas dedit, vt constat ex eodem Antonino fab. XXXIV. Phoenix cum pellice patris rem habuit, docente *Homero* Iliad. *i.* ν. 450. seqq. Ipse sapientissimus Periander cum matre Cratea diu clam commisit incestum, referente *Laertio*. Sagacissimus Oedipus matrem duxit vxorem, quamuis ignorans, V. *Diodorus Siculus* IV. 66. 67. Et haec quidem inter Graecos. De orientalibus certum est populis, vix pro animi labe ab iis habitum esse, cum matre concumbere. De Magusaeis, siue Magis, ex Bardesane id commemorat *Eusebius* Praepar. VI, 10. Hinc *Catullus* carm. 91.

Nasca-

Naſcatur Magus ex Gelli matrisque nefando
Coniugio, & diſcat Perſicum haruſpicium.
Nam Magus ex matre & gnato gignatur oportet,
Si vera eſt Perſarum impia relligio.

Ex Xantho narrat *Clemens Alexandr.* Strom. III. p. 431. A. Magos miſceri μητράσι ἢ θυγατράσι. Similiter *Clemens Romanus* Recognit. Lib. IX. *Mos*, inquit, *apud Perſas matres accipere in coniugium, & ſorores & filias.* Quid de Ebraeis dicemus? Neque hos ab inceſto hoc ſtupro immunes fuiſſe, hiſtoria filiarum Lothi, Geneſ. XIX. 31. ſſ. itemque Rubenis, Cap. XXXV. 22. XLIX. 4. edocet. Paria de Ana Edomaeo tradunt *Raſchi* ad Gen. XXXVI. 5. 23. & *R. Simeon* filius *Iſaaci Leuitae* in רבק טוב ſiue expoſitione in commentarium Raſchianum ad Geneſ. l. c. Iſta vero foeditas adprobationem inuenit nullam, ne quidem apud ethnicos; quippe quae ſolis digna iudicabatur barbaris. *Euripides* Andromache:

Τοιοῦτον πᾶν τὸ βάρβαρον γένος
Πατρὶ τε θυγατρὶ, παῖς τε μητρὶ μίγνυται,
Κόρη τ' ἀδελφῷ. — — — —

Sic comparatum eſt cum barbara natione omni.

omni. Pater cum filia, filius cum matre, sororque cum fratre corpora miscent. Detestati sunt incestum illi ipsi, qui commiserunt. Oedipus apud *Sophoclem* in Oedip. Tyranno ν. 800.

Καὶ δεινὰ καὶ θύσηνα προϋφάνη λέγων,
ὡς μητρὶ μὲν χρεὶ ἢ μιχθῆναι — —

Grauia & horrenda denunciabat (Pythius Apollo) *aiens, in fatis esse, vt matre miscerer.* Adde ibid. ν. 1217. ff. 1361. ff. Oedip. Colon. ν. 520. &c. Subsecuta est numinis ira scelus nefandum, cuius poena fuit effossio amborum Oedipi oculorum (quo similiter supplicio adfecti sunt duo Phinei filii, Crambis & Orythus, vel, vt alii nominant, Parthenius ac Crambis, de stupro nouercae oblato suspecti, sed immerito, vt est in fabulis) manu propria; mater eademque vxor laqueo sibi gulam fregit, duo filii vno die mutuo sese interfecerunt, duae filiae, Antigone atque Ismene a Creonte neci datae sunt, prout fuse dictis in Tragoediis, breuiter autem & ὡς ἐν ἐπιτομῇ in Antigone ν. 48. ff. enarratur. Et nutrix apud *Senecam* paulo ante adductos supra versus, sic ad Phaedram insano filii amore captam:

——— ——— *credis hoc posse effici*
Inter videntes omnia vt lateas auos?

Sed,

Sed, vt secundus numinū abscondat fauor
Coitus nefandos, atque contingat stupro
Negata magnis sceleribus semper fides.

Admissum igitur illud flagitium, sed nunquam *adprobatum laudatumue*. Atque sic intelligi forte debet illud ὀνομάζεται. Nam & ὠνομασμένος idem est ac laudatus, celebratus, & LXX. Interpret. ad Deuter. XXVI. 19. תהלה efferunt per ὀνομαστὸς. Vel D. Pauli verba sic conuertenda sunt: *quae ne quidem inter gentes* (quanto minus inter Christianos) *audiri debet*. Obserues quippe: *effectum* pro *iure* quidpiam agendi nonnunquam poni. vt Luc. III. 14. καὶ ἡμεῖς τί ποιήσομεν; *quid facere debemus?* Ebr. V. 4. καὶ οὐχ ἑαυτῷ τις λαμβάνει τὴν τιμήν, *nemo sumere debet*, &c. Vtcunque tamen res se habet, certum est, phrasin *ne quidem nominare*, in maxima detestatione adhiberi. Paulus ipse, ad Ephes. V. 3. πορνεία καὶ πᾶσα ἀκαθαρσία ἢ πλεονεξία μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν. *Dio Chrysostomus* alicubi: πάσιν δὲ οὐδὲ ὀνομάζειν ἄξιον παρ' ἡμῖν.

GENES. XVIII. 11.

חדל להיות לשרה ארח כנשים׃

Desit esse Sarae via vt mulieribus.

PLerique omnes *consuetudinem mulierum*, interpretantur conceptionem vel men-

menstrua, significatu ad hunc quidem locum quadrante, sed non item ad Genes. XXXI. 35. vbi Rachel veniam sibi dari a Labano, quia ipsi non adsurgeret, ea de caussa petit כי דרך נשים לי *quoniam consuetudo mulierum est mihi.* Feminas vero tunc quando muliebria illis fluunt, vel loco surgere, vel quotidianis operibus defungi non posse, quis vnquam audiuit? Quaerenda igitur significatio est, vtrique loco conueniens. Talem esse putamus appetitum Venereum, quem heic innui, ex subiecta v. 12. vberiore declaratione adparet, dicente Sara: *postquam anus facta sum,* היתה לי ערנה *erit mihi voluptas!* Scilicet adeo ineptam sese ad pariendum sentiebat, vt ne quidem igniculis amplius Veneris vreretur, tantum abest, vt ex naturae legibus in vtero gestare infantemque eniti posset. Iam in posteriore loco Genes. XXXI. 35. effectus voluptatis coniugalis, turgidus venter & propendens eius moles, difficilem mulieribus descensum reddentia, ex animali praesertim tam alto, quale est camelus, per דרך נשים exprimitur. Fauet huic interpretationi, quod דרך de concubitu sumatur Prouerb. XXX. 19. verbis דרך גבר בעלמה *consuetudo viri cum virgine.* Confer & Geneseos XIX. 31. Fauet Rabbinis vsitatum dicendi genus דרך ארץ quod

quod inter quamplurima alia *coitum* designare, docet *Elias Leuita* in Thisb. Si nunc Tuus, amice Lector, accesserit fauor, nihil erit, quod in nostra desideres sententia, vt inec nos in Tua benignitate.

EPIST. AD COLOSSENS. II. 16.

Ἢ ἐν μέρει ἑορτῆς, ἢ νεμηνίας, ἢ σαββάτων.

Vel ob partem festi diei, vel nouilunii, vel sabbatorum.

TAnta fuit Ebraeorum in celebrandis festis sollertia, vt diebus ab Iehoua praescriptis saepe non fuerint contenti, sed *partes* adhuc aliquas *antecedentis* aut *subsequentis* diei ad festiuitates traxerint, rati, se hoc pacto & rem facturos Deo gratissimam, & praecepta eius, cultum non vulgarem exigentia, ex asse impleturos. Cuiusmodi *laciniae* assuebantur tam *nouilunio* quam *sabbato*. Et quidem in *neomenia* hoc obseruamus, dum non vnus, vt supremum institueret Numen, sed duo omnino dies ad eius solennia requirebantur. Omnium instar esto *Maimonides* in *Hilch. Kidduschhachodesch* cap. III. §. 11. ore facundissimo *Ludou. de Compiegne de Veil*, sic statuens: *Itaque quo loci cunque definitarum*

nuncii Kalendarum perueniebant, in eo **dies** *ſolemnes, vt in lege eſt, inſtituebant ſimplices: longinquis autem in locis, ad quae Kalendarum nuncii adſpirare nequibant,* **dies** *ſolemnes* **geminabant**, *quippe qui neſcirent, quo die eſſent a conſilio definitae Kalendae.* Et Cap. V. §. 8. *Quin etiam Hieroſolymae, quae erat ſupremi ſenatus illius ſedes, tamen hunc* **diem** *ſolemnem, vnde annus incipit, ſaepenumero* **geminabant.** *Etenim* **triceſimus** *ille menſis dies -- totus habebatur ſanctus, itemque* **poſterus.**---- *Hinc igitur patet, etiam* **alterum diem feſtum** *ad anni principium celebrari nunc ex decreto ſapientum.* Quod ipſum hodieque durat. Nec aliter res ſe habet cum ſabbato; nam & huic ſocium dederunt foecundi ingenii partum, redundantis & ſuperfluae ſanctitatis *partem, ſabbatulum* intellige, ipſorum lingua שבות dictum, in eo conſiſtens, vt ad pleniorem ſabbati ſanctitatem; *pars* diei ſexti, in ſe profana, ſacris dicaretur vſibus, eo habenda loco, quo ipſum ſabbatum; id quod Tiberienſes potiſſimum Iudaeos feciſſe, enarrator libri *Muſar* docet, ac ex eo Buxtorfius

in

in Tiberiade cap. 4. p. 16. Confirmat & hoc praxis hodiernorum Ebraeorum. Talia iure μέρη dixeris, *partes* vel *antecedaneas* vel *succeſſorias*, תוספות Rabbinis adpellatas, nulli diuino mandato innixas, quas ſalua fide negligere poterant, ad meliora ſacra perducti. Audiendi non ſunt, qui voculam μέρος plane praetermittunt, tantam ſibi ſumentes licentiam, vt ne ſeptimum quidem quemuis diem, ſed vel nonum vel decimum in orbem redeuntem, diuino cultui, hac ipſa ex Apoſtoli conceſſione, conſecrari poſſe arbitrentur. Qua profecto violentia non datur maior; neq; tam inſignem iniuriam in apertum ſacrorum oraculorum textum vlli vnquam commiſerunt integrae fidei Critici, quam qui ſic opinantur, viri, vt videri volunt, Theologi. Potius ea mens Pauli eſt, μερίδας eiusmodi ab hominibus excogitatas, a quodam non pariter obſeruatas, nequaquam hunc κατάκριτον efficere. *Neomenias* nominat & *ſabbata*, feſtos ſimul includens dies ceteros: nam vt *illae* minori ſanctitate illuſtres, ſic *haec* ſanctiſſima habebantur; adeoque vtriusque generis feſta pulcre deſignat, quale quid cum Ieſ. I. 13. tum Amoſi VIII. 5. obſeruare quoque licet.

GENES. XXX. 14.

וילך ראובן בימי קציר חטים וימצא דודאים׃

Egressus Ruben diebus messis triticeae, inuenit Dudaim.

ODorantur heic alii *mandragoras*, alii *violas*, alii *lilia*, alii *Iasminum*, alii *Musae*, plantae in Syria crescentis, fructus, alii *lilium conuallium*. Quibus doctorum opinionibus si nostram immiscere concedetur, paucis faciemus. *Dudaim* non vnius arbitramur floris nomen esse, sed quamplurimorum (quod jam ante nos *Tremellius* ac *Junius* viderunt) eo quod constanter in *plurium numero* adhibeatur illud vocabuli, quinquies in capite nostro ℣. 14. 15. 16. & semel in Cantico VII. 14. Robur accedit huic coniecturae ex iam nominato cantici loco, quo *Dudaim* veluti *collectiuum*, cum simili מגדים iungitur. Nam vti hoc fructus pretiosos quoscunque, sic Dudaim multos flores amabiles, quod origo vult nominis, complectitur. *Amabiles* dixi flores, siue gratam eorum contempleris speciem, siue, qua pollent, vim. Amantibus profecto in deliciis fuisse, ex vtroque loco coniicias. Ruben secum attulit

tulit *Dudaim*, hoc est, *amabilium florum fasciculum*, quorum amoenitate Rahel capta fuit, tot inuicem diuersorum florum apta concinnitudine oculos ipsius mentemque perstringente, vt solet florum gratiae plus tribuere sequior sexus, præ nobiliore. His concubitum cum viro sibi Lea parauit, more tunc vsitato, dum Venereos congressus non pecunia modo, sed & animalibus, Genes. XXXVIII. 17. & agris hortisque, Hos. II. 14. & frumento, Hos. IX. 1. vbi videndus *R. Sal. Isaac*, emebant. In illis *Dudaim*, illoue florum fasciculo, vel primum obtinuerit locum *rosa*, quam ego quidem voce, de qua nunc quaerimus, indigitari tum demum pronunciabo, vbi solidis rerum argumentis probatum fuerit, Dudaim generale nomen haud esse, varias ambitu suo florum species comprehendens, quod tamen aegre ab aduersariae partis patronis fieri posse, persuasum mihi habeo. Non me terret, quod חבצלת rosam vocari quidam conclament, quum nondum exacte demonstratum sit, quid illo nomine, bis tantum in S. Codice exstante declaretur, commentatoribus etiam & Lexicographis, Iudaeis aeque ac Christianis, in diuersa abeuntibus; nobis vero *lilium conuallium* hic quaerentibus. Verum de hoc alibi. Nec obstat, tempore

triticeae messis adhuc repertas rosas; quod vt intelligamus, audire iuuabit *Grapaldum* de partibus aedium I. 5. p. 81. *Ego vero*, inquit, *primam odoris laudem potius dederim rosis, quas nunc passim Damascenas dicimus, non solum biferas, sed toto fere anno florescentes.* Rosa, vtpote colore praestantissima, odore admodum penetranti (vnde & ῥόδος audit, ὅτι ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδωδῆς ἀφίησι, vid. *Plutarchus* Sympos. Lib. III. qu. 1. extr. *Athenaeus* Lib. XV.) dulcissima, amantium propria, apud Ebraeos, Graecos, Romanos. Ea enim ἔρωτος πνέει, Ἀφροδίτην προξενεῖ, *amorem spirat*, *Venerem conciliat*, prout eleganter exprimit *Achill. Tatius* Lib. II. p. 65. Nec mirum amoribus inseruire rosas, quum ex Adonidis, ab ipsa Venere post mortem quoque deamati, cruore dicantur propullulasse. Ita enim *Bion* idyll. I. 66.

Αἷμα ῥόδον τίκτει, τὰ δὲ δάκρυα τὰν ἀνεμώναν.

Sanguis Adonidis *rosam gignit*, *sed* Veneris *lacrumae anemonem.* Hinc *Ausonius* idyll. XIV. 49.

Collige virgo rosas, dum flos nouus & noua pubes,

Puellae in Ebraeorum gente capitibus gestabant coronas, & quidem roseas. Est in tract. *Schabbath* fol. 152. a. ינקותא בלילא דוורדא סבכותא

סבכותא כלילא דחילתי *puellam rosea decet corona, annosam mulierem ex vrticis plexa.* Atque redimitos fuisse coronis eiusmodi puellarum iuniorumque feminarum vertices, facile ostendi potest. Sed id non agimus. Quin & satis nunc coniecturarum.

I. EPIST. AD TIMOTH. V. 9.

Χήρα καταλεγέσθω, μὴ ἔλαττον ἐτῶν ἑξήκοντα γεγονυῖα, ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή.

Vidua legatur, non infra annos sexaginta, vnius viri vxor.


SIc enim distinguendum esse hunc textum, secus ac vulgo fit, dum post ἑξήκοντα incisum ponitur, confirmabunt, quae statim proferemus, testimonia. In ordinanda republica Christianorum, erigenda primum in ipsa Graecia, talem a Paulo seruatum in multis deprehendo ordinem, qualis erat in republica Graecorum. Hactenus γυναικονόμον vt & γυναικοκόσμον egerat Apostolus, praescribendo capite secundo, quae ad γυναικῶν εὐκοσμίαν, vti *Aristoteles* Politic. IV. 5. nominat, pertinent. Mox ἐπισκόπες instituit Cap. III. diuersos tamen ab iis, qui apud Athenienses hoc nomine veniebant, de quibus *scholiastes Aristophanis* ad Aues pag. 590. G. Sed & in

sacrorum ministris, diaconis atque diaconissis, similia cum Graecis requirit. Adscribemus ad illustrationem commatis XI. verba *Achillis Tatii* Lib. VIII. p. 503. ἱερεῖ δὲ ἔπρεπεν, εἴπερ ἄλλο τῷ τοῦτο, καθαρὰν ἔχειν τὴν γλῶτταν ὕβρεως. *Sacerdotem, si quid aliud, hoc sane decet, puram habere a calumniis linguam.* Quibus ita dispositis, per Caput IV. regulas doctrinae atque vitae tradit ab Episcopo seruandas, quarum multae ex Graecia aduehuntur. Sufficiet vnicum specimen. Quod commate statim primo de honorandis monendisque senioribus, tanquam patribus, dicitur, Lacedaemoniorum fuit institutum; de quo *Nicolaus Damascenus* in libello de moribus Graecorum: τοὺς γέροντας αἰσχύνονται, ὡδὲν ἧττον ἢ πατέρας. *Senes reuerentur non secus ac parentes.* Insuper notatu dignum est, quod de Galactophagis, gente Scythica, memorat idem, eos nimirum vocare τοὺς πρεσβυτέρους πατέρας, τοὺς δὲ νέους παῖδας, τοὺς δὲ ἡλικιώτας ἀδελφούς: *seniores quosuis patres, iuniores filios, aequales denique fratres.* Etiam ad inferiores capite V. progreditur magistratus, quos inter ἀρχὰς quoque collocat. Fuisse vero istud alicuius ἀρχῆς nomen, inde adparet, quod bonis hisce mulieribus pauperum aegrotorumque cura commissa fuerit. Et harum designat aetatem,

tatem, quod in ceteris non fecerat; simul autem ex Graecorum institutis annos procul dubio metitur. Res manifesta est, neminem Athenis adsumtum fuisse iudicem, εἰ μὴ ἐπέβαινε τῶν ξ' ἐνιαυτῶν, *nisi qui LX. annum attigisset*, vel *Suida* teste, v. Τριώβολον. Eadem aetas διαιτητῶν siue arbitrum officio conferendo apta videbatur, si *Iulium Pollucem* Onomast. VIII. 9. sequi velimus, leuiter dissidente *Suida*, ex cuius opinione debebant esse ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότες, ad similitudinem τῶν ἐφετῶν, qui muneri admouebantur ὑπὲρ ν'. ἔτη γεγονότες, iuxta eundem & *Etymologici* auctorem. Neq; Lycurgus in senatum cooptabat alios quam γέροντας, ac hos quidem ὑπὲρ ἑξήκοντα ἔτη γεγονότας, vt est apud *Plutarchũ* in eius vita p. 55. D.

Sed iam prima mei pars est exacta laboris,
Cumque suo finem mense libellus habet.

Scrib. die vlt. Martii clɔ Iɔ cc xiii.



ADDENDA.

AD pag. 26. vers. 18. post verba *cap. 30. p.* 148. s. addas velim: itemque *Philippum Carolum* Animaduersion. in A. Gellii Lib. II. cap. 7. pag. 126.

Ad pag. 44. vers. 4. post: *vitae tutamen erat*, adde:

Prostat hanc in rem clarissimus Talmudis textus, in codice *Rosch haschana* Cap. I. §. 9. hoc verborum ordine: *Qui lunam conspexerat nouam, neque pedibus iter ingredi poterat, asino imponebatur, addito etiam* (maioris commoditatis gratia) *grabato.* ואם צורה להם לוקחין בידן מקלות: *Si vero insidias a quibusdam strui suspicabantur, tum assumtis baculis proficiscebantur.* Quam sanctionem, dum copiosius, more suo, enarrat *Maimonides* Hilch. Kidduschi Hachodeschi Cap. III. §. 4. loco מקלות id est baculorum, ponit כלי זיין *arma* quaecunque; genus nimirum, vt in scholis loquuntur, pro specie. Atque de eiusmodi instrumento, ex ligno confecto, manuque gestato, verba facere Mosen opinamur, in libro quarto Cap. XXXV. 18. ver-

18. verbis: או בכלי עץ יד ימות בו המכהו *Aut instrumento ligneo manuali, quo quis interfici poteſt, ſi percuſſerit eum.* Quae licet de quouis alio capi queant apparatu, ad necandum idoneo; potiſſimum tamen armati heic baculi locum ſibi dare poſtulant. Nam quod alibi יד מקל vt ſtatim dicturi ſumus, id nunc יד עץ aut plane non, aut certe haud multum diſcrepante ratione, adpellatur. Tales omnino ſcipiones &c.

Ad pag. 103. verſ. penult. poſt ἡ ἄνθρωπον adde:

Tanto ſane amore proſequi Deus credebatur Lycurgum, vt prouerbii locum obtinuerit: φίλος τῷ θεῷ μετὰ Λυκοῦργον. Legimus quippe in *Heliodori* Aethiopic. Lib. II. ἐμὲ δὲ ἐμακάριζον, καὶ περιέποντο ἐντεῦθεν παντοίως, φίλον ἥκειν μὲ τῷ θεῷ, μετὰ Λυκοῦργον τινα Σπαρτιάτην λέγοντες. *Illi vero beatum me pronunciabant, omnibusque modis reuerenter me habuerunt, dicentes, venire me Deo amicum poſt Lycurgum quendam Spartanum.* Vſurpatur itaque de re ſingulari, noua, praeſtanti, rara, admirabili, ac cum admiratione laudibus celebranda. Simile eſt illud *Muſaei*, vel quisquis auctor eſt carminis de Ero & Leandro v. 134.

Κύπρι

Κύπρε φίλη μετὰ Κύπριν, Ἀθηναίη μετ' Ἀθήνην.

Venus cara post Venerem, Minerua post Mineruam.

EMENDANDA.

Pag. 5. versu 22. lege 430.
-- 12. -- 1. -- Ἀχιλεύς.
-- 19. -- 18. -- quaerentem.
-- 23. -- 9. -- ediderint.
-- 37. -- 18. -- subiecta.

Emendationem reliquorum mendorum, quae nec multa esse, nec admodum enormia, adfirmamus, beneuoli Lectoris benignitati atque sollertiae committimus.

INDEX

INDEX

Locorum illustratorum, ad ordinem librorum Biblicorum compositus.

		Pag.
GENES.	CAP. V. 24.	21. & 32.
	XVIII. 10.	58.
	XVIII. 11.	143.
	XIX. 26.	125.
	XXX. 14.	148.
	XXXVI. 24.	1.
NVMEROR.	V. 23.	67.
DEVTERON.	XX. 19.	135.
II. SAMVEL.	III. 8.	131.
I. REGVM	XVIII. 44.	29.
IESAIAE	III. 1.	38.
	LXI. 3.	78.
DANIEL.	XI. 37.	75.
	XII. 3.	25.
PSAL.	XXIII. 4.	42.
	LXXV. 7.	72.
	CXIX. 87.	64.

PSAL.

		Pag.
PSAL.	CXXI. 1.	15.
	CXXXVII. 1.	10.
ECCLESIAST.	X. 20.	96.
	XII. 4.	89.
CANTIC.	II. 5.	49.
	IV. 1.	83.
IOBI	XL. 15.	116.
MATTH.	VI. 16.	73.
	VIII. 29.	18.
	XI. 30.	31.
	XIII. 28.	46.
	XVI. 16.	85.
	XXI. 41.	54.
	XXVI. 50.	13.
MARCI	XI. 13.	7.
LVCAE	III. 23.	40.
	VIII. 14.	94.
IOANNIS	I. 18.	129.
	VIII. 25.	69.
ACTOR.	XVII. 28.	76.
EP. AD ROM.	VI. 13.	133.
I. AD CORINTH.	V. 1.	139.
	VII. 3.	81.
	XI. 10.	34.
	XIII. 1.	23.
	XV. 32.	62.

AD

		Pag.
AD PHILIPP.	III. 19.	26.
AD COLOSS.	II. 16.	145.
I. AD TIMOTH.	V. 9.	151.
II. AD TIMOTH.	II. 15.	66.
AD EBRAEOS	XI. 5.	32.
IACOBI	II. 23.	101.
I. PETR.	V. 5.	118.

FINIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046377051/phys_0179
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046377051/phys_0182
DFG

II, A 1 b
82
III, 17108 m6.
133.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046377051/phys_0183
DFG

ud συνεβράσθη ſpuri-
ndumque vel cum
odicibus ἐξεβράσθη,
η, συνεξεβράσθη, ſer-
.

Lucianus de ſal-
ag. 816. ἀλλὰ τόγε
ήνει τῷ Αἰακῷ.

ɔmprimo, vna pre-
oniates fragmento
igni traditis poſt
Polin, inſerto a ce-
ɔ biblioth. Graecae
. ᾤδειο δὲ τὸ μὲν βασι-
ίδα τὸ συμμαρτόμε-
redebatur alterum
rum, quod in ore
erebat, aſpis.

fero. *Baſilius M.*
ag. 276. memorat
nera, quae συμμε-
λέξασι, *facile trans-*
cum iis, qui ea-

Συμ-